DE RERUM HISTORICARUM IN AESCHYLI PERSIS TRACTATIONE POETICA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE IX MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXVI.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

FRIDERICUS VAN HOFFS

GELRIENSIS.

COLONIAE AGRIPPINAE,

TYPIS I. S. STEVENII.

PATRI GUILELMO

ET

PATRUO IOSEPHO

CARISSIMIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Poetam, si argumentum tractet ex historia petitum, aliam exprimere necesse est rerum imaginem atque historicum. Hic ex vera res effingit: ille decorem iis addit supra verum. Quamvis imagines universe inter se sint similes, singulis tamen lineamentis dissentiunt. Poeta multa aut oblitterat aut exaggerat, omnia expolit vel, ut Aristotelis verbis utar (Poet. 25, 17), πρὸς τὸ βέλτιον ἀνάγει. Quod praecipue de antiquis poetis Graecis dicendum est, quos constat insigni cum studio omnia πρὸς τὸ βέλτιον ἀναγαγεῖν. E Graeca autem poesi, quae quidem ex historia argumenta petivit, cuius omnino haud sane magnus erat ambitus, una sola ad nostram memoriam mansit Aeschyli tragoedia, quae inscribitur Persae. Atqui nemo adhuc eam tractavit ita, ut omnem rerum descriptionem Aeschyleam cum historia comparaverit. Editores quidem, Stanleius (1663), Schützius (1811), Blomfieldius (1823), Langius et Pintzgerus (1825), Hermannus (1852), Hartungius (1853) passim observationes ascripserunt eo pertinentes, quae videlicet, ut nomina virorum, diversarum notarum sunt. Item alii viri docti, Abreschius (animadv. ad Aesch., 1743), Siebelisius (de Aesch. Pers. diatribe, 1794), Jacobsius (die Perser, aus dem Griechischen des Aeschylos, Att. Mus. IV, 1802), Passovius (meletem. crit. in Aesch. Pers., 1818), Süvernius (über einige historische und politische Anspielungen in der alten Tragödie, Abhandlungen der Berl. Academie, 1824), Prellerus (de Aesch. Pers., 1832), Welckerus (über die Perser des Aeschylus, Rhein. Mus. V, 1837), Droysenius (Phrynichos, Aischylos und die Trilogie, 1841), Vaterus (de Aeschyl. Pers. commentatio, Archiv für Philologie und Pädag. IX, 1843), Volckmarius (zu Aeschylos Persern, Philologus IX, 1854), Schoellius (über Aeschylos Pers. V. 765—780 D., Philologus X, 1855), et Grotius (Geschichte Griechenlands, nach der zweiten Auflage aus dem Englischen übertragen von Meißner, 1851),

Dunckerus (Geschichte des Alterthums, 1853), Curtius (griechische Geschichte, 1861) multa, quamquam alia agendo, attulerunt. Plurima proposuit Siebelisius; sed cum tragoediam ad comoediae naturam detorqueret, per omnem fabulam ostendere nobis enitens comicum salem, quo Persas Aeschylus perfricaret, plerumque iudicavit perverse. [1]) Quae cum ita sint, induxi animum continuam et solidam de rerum historicarum in Aeschyli Persis tractatione poetica commentationem conscribere. Qua in re perficienda utar rectis virorum illorum observationibus, pravas, si opus esse videatur, refellam, adhuc non factas, ut potero, absolvam. Quare cum non solis compositoris et existimatoris muneribus functurus sim, peto, ut indulgenter iudicetur opusculum meum, quippe tironis. Propositum meum operae pretium esse inde apparet, quod, dum scienter peragatur, nonnihil conferat necesse est ad illustrandam Aeschyli artem. Accedit, quod passim occasionem offert inquirendi in quaestiunculas quasdam historicas. — In calce libelli criticas aliquot notas et hermeneuticas subiiciam.

---

[1]) Ut specimen afferam, inter ducum Persicorum nomina, quorum pleraque ab Aeschylo ioci causa ficta esse opinatur, Ἀμίστρης ducit ab ἀμίς (cf. lexicon!), Ἀστάσπης ab ἄιστος et ἀσπίς („qui nescit clypeo uti") et alia similiter (p. 43 sq.). — Hartungius nomina Πηγαστάγων, Μητραγαθής, Σωσθάνης, quae tamen non ab Aeschylo, sed ab interpolatore ficta esse censet, Germanice reddit per „Quellentropf", „Mutteredel", „Lebestarb"! [Facere non possum, quin unum e Siebelisio addam: valde enim ioculare est. Chori senes Siebelisius ait esse eunuchos; ipsos statim tales se introducere verbis neutralibus τάδε . . . . . πιστὰ καλεῖται. At istos, imberbes nimirum, Xerxes iubet vellere barbam (v. 1025 Herm.). Quid? respondet Siebelisius: barbam mento subnexuerunt! (p. 37 sq.)]



Aeschylus Persarum argumentum e suae aetatis historia petivit [2]). Anno 480 a Chr. mense Septembri victoria Salaminia reportata erat: anno 472 mense Martio [3]) Aeschylus fabulas dedit tetralogice coniunctas Phineum [4]), Persas, Glaucum Marinum, Prometheum Igniferum, quarum altera eaque gravissima victoriam illam celebravit.

Poetica fabulae vis et gravitas sita est in proponenda Persarum superbiae castigatione. Dubitari autem non potest, quin Aeschylum in componendis rebus secundum rationem poeticam altera duxerit ad spectatores Athenienses respiciens, quam nuncupare libet popularem. Eam porro dispertire posse nobis videmur in generalem et specialem. Generatim Aeschylo vitanda erant omnia, quae Athenienses graviter audituros esse sentiret. Speciatim respiciendus erat is, qui tunc Athenis erat, animorum habitus. Quem splendide Droysenius depinxit in libello laudato. Themistocles vere anni 475 testarum suffragiis e civitate eiectus, vere anni 473, quod societatem cum Xerxe ad Graeciam opprimendam fecisset, capitis damnatus, ineunte anno 472 Susa petebat Artaxerxi, qui in patris proximo anno interfecti locum successerat, operam suam ad Graeciam oppri-

---

[2]) Omnino tragoediae historicae principia in aequalis aetatis historia versata sunt. Parens eius generis poesis Phrynichus Mileti excidium tragoedia flebili prosecutus est idque, ut Krügero (in Clintonis fast. Hellen. p. 25) visum est, proximo anno, 493 a. Chr. Ab eodem idem, quod Aeschylus Persis tractavit, argumentum quarto iam ante anno, 476, Phoenissis tractatum erat.

[3]) Droysen. l. l. p. 28, 32 extr., 40 n. 8.

[4]) Phoenissas, non Phineum primam fuisse eius tetralogiae fabulam Vaterus (l. l.) mihi quidem non probavit. Quae vero de argumento Phoenissarum auguratus est (p. 242), manifesto abhorrent ab antiquae tragoediae simplicitate.

mendam offerens [5]). Athenienses non securis animis ingentem ingenii viribus hominem prosecutos esse quivis facile concedet. Iam vero Aeschylus id agebat, ut civium animos confirmaret docendo non singulorum hominum virtutibus, sed aeternis consiliis deorum, qui nimiis conatibus inviderent, et nuper Graeciae libertatem servatam esse et in posterum servatum iri. Id proprium erat Aeschyli consilium.

Patet non licuisse usquam poeticae rationi praeponi popularem. Egregie vero poetam, ne usquam altera cum altera pugnaret, praecavisse, progrediente commentatione nostra perspicuum fiet. Quam ita nobis placuit instituere, ut primum de argumento tragoediae, deinde de rebus singulis agamus.

A. De argumento.

In exordio fabulae, cuius scena est Susis ante aedes regias, prodit chorus senum Persicorum, quibus Xerxes rex, cum adversus Graecos exercitum esset ducturus, regni custodiam mandavit. Chorus sollicitum sese profitetur de regis et exercitus reditu, de quibus iam dudum nullum acceperit nuntium. Enumerat ingentes copias in bellum profectas, quibus quidem homines non posse resistere, sed deos facile invidere suspicatur (v. 1—157) [6]). Tum ex aedibus procedit Atossa, Xerxis mater, Darii vidua, cum omnino, tum vero ob proximae noctis somnium, quod filio infesta portendat, de rebus futuris sollicita. Postquam somnium enarravit, chorus nihil habet dicere, nisi quod eam ad deos et terram inferosque, imprimis Darium, quem per somnium viderit, precibus atque libationibus adeundos delegat. Atossa, priusquam ad exsequendum chori consilium abeat, de

---

[5]) Chronologiam temporis alteri bello Persico et bello Peloponnesiaco interiecti in controversia versari notum est. Ego circumspectis rebus non dubitavi sequi virum sagacissimum Krügerum (historisch-philologische Studien, 1837), et consentientem cum eo Droysenium.

[6]) Versuum numeros affero editionis Hermannianae.

situ Athenarum deque hominum multitudine, opibus, armis, imperio sciscitatur (v. 158—247). Inter quae accurrit homo a Xerxe missus, qui subito metum in luctum convertit. Primo cum magna perturbatione effundit cladis nuntium, identidem interruptus chori lamentis; deinde ab Atossa, quae grave tantisper silentium obtinuit, graviter admonitus, ut animum confirmet, postquam renuntiata Xerxis salute paullum eam erexit, de ducibus caesis, de utriusque classis summa, de Athenarum salute eam facit certiorem; postremo rem omnem ordine exponit. Tum Atossa, quid in praesenti necessitudine chorum facere velit, elocuta, ut res sacrificales comparet, intro abit (v. 248—526). Chorus interim ingentem Xerxis calamitatem deplorat, cui opponit Darii felicitatem (v. 527—600). Reversa in scenam Atossa ad inferias peragendas sese accingit. Quas dum peragit, chorus carmine queribundo carum regem Darium ex inferis excitare studet (v. 601—681). Escendit is in tumuli, qui in postica scenae parte eminet [7], fastigium et, quid acciderit, cum frustra quaesiverit e choro verecundia constricto, ex Atossa comperit. Gravissime accusat filii insolentiam, cuius poenam dicit nondum esse exhaustam, sed superesse malum gravissimum, internecionem exercitus, quem ille in Graecia reliquerit. Choro, quem docuit non salvos fore Persas, nisi bellando adversus Graecos prorsus abstineant, ut Xerxem ab insolentia abducat, praecipit; Atossae mandat, ut dignum ornatum obviam ferat filio cum veste discissa appropinquanti utque eum consoletur. Deinde ad inferos redit (v. 682—844). Postquam Atossa ad procurandum mandatum de scena decessit (v. 853), chorus carmine Darii res mirifice praedicat, postremo ad querendam praesentem miseriam redit (v. 854—885). Tum in scenam prodit cum paucis satellitibus et veste discissa afflictus aerumna atque pudore suffusus Xerxes. Alterno huius et chori cantico eiulationis atque desperationis plenissimo tragoedia finitur (v. 886—1048).

Poeta in fingendo argumento complures historiae mutationes fecit.

---

7) Siebelis. p. 35.

Primum regni custodiendi officium, quo apud eum chorus senum fungitur, re vera obtinuit Artabanus [8]). Nec vero mirum est grave illud munus ab Aeschylo ad chorum esse delegatum. Etenim Aeschylus, cui chorus est gravissimus, hic, ut eum quam vehementissime posset facere de barbariae calamitate dolentem atque deplorantem, quam artissime eum coniungeret oportebat cum barbariae salute. Euripides, opinor, si eandem rem tractasset, Artabanum auctoritate sua indutum induxisset chorumque Persarum minus illustrium inter actorum dialogos passim flebilia quaedam atque imbecilla fecisset intercinentem.

Deinde, quod attinet ad nuntios a Xerxe Susa missos, recedit ab historia Aeschylus. Blomfieldius (praef. XI) eum dicit offendere veri similitudinem, cum chorum faciat dicentem nullum ab exercitu nuntium Susa pervenisse (v. 14 sq.). At non sunt adeo premenda chori verba: de Hellesponti transitu, de sollemni exercitus recensione apud Doriscum habita ipse certiorem se factum esse declarat (v. 66 sqq., 953). Sed posteriorum rerum nuntios poeta sane removet. Ex Herodoto audimus de nuntio Athenis captis Susa misso (VIII, 54). Qui ut ab Aeschylo removeretur, poetica quidem ratio non postulabat: imo per se vehementer tragica erat mirae laetitiae in gravissimum luctum conversio cladis nuntio parta, quam belle describit Herodotus (ibid. 97, 99.). At vetabat ratio popularis inducere in tragoediae exordio barbaros superbientes Atheniensium calamitate: cuius memoria potius erat lenienda (cf. v. 342 sqq.). Nuntios teste Herodoto (ibid. 98) Susa pertulerunt veredarii publici per singulas stationes dispositi, quibus apud Persas nomen erat angaris. Aeschylus eo quoque apte ab historia recedit, quod nuntium facit unum e Xerxis exercitu (v. 261 sq.) eumque non maritimo itinere missum (hoc autem quippe breviore et celeriore missum eum a poeta induci oportuisse veri similitudinis gratia ieiunior dumtaxat iudex dixerit), sed terrestris itineris socium (v. 480), qui mala narrare possit omnia „facundia praesenti“ (Hor. A. P. 184).

Postremo apud Aeschylum Xerxes multo maturius et multo

---

[8]) Herodot. VII, 52.

peioribus in rebus Susa redit, quam re vera rediit. Namque apud illum brevi tempore post cladis nuntium et corporis animique habitu miserabilis advenit: re vera, postquam ex Europa decessit, per annum Sardibus moratus est nefariis se dedens libidinibus, atque post calamitates demum ad Plataeas et ad Mycalen exercitibus suis illatas Susa revertit lasciviam continuaturus [9]). Poetam oportebat protinus post cladis nuntium inducere auctorem, et ipsum quam gravissime perculsum, ut cladis magnitudinem ac vim vi maxima proponeret.

B. De rebus singulis.

I. De populis cum Xerxe profectis Aeschyleis (v. 12—61).

Chorus inde a v. 12 usque ad v. 61 populos cum Xerxe profectos enumerat potissimos, quorum nominibus ceteros comprehendit.

Primo loco Persas profert, quorum nomine comprehendit universos populos inter Tigrim et Indum habitantes, quod declarant Susa, Agbatana (v. 15), urbs Cissia (v. 17) [10]), Astaspes Bactriorum et Sacarum dux (v. 23; cf. p. 15). Ceterum erravit Aeschylus v. 17 et infra v. 119 Cissiam urbem distinguens a Susis [11]). Populi illi peditatus et equitatus robur efficiebant, navium propugnatores praestabant (v. 16—33). — Altero loco commemorantur Aegyptii classe merentes, e quibus praecipue laudantur Delta incolae (v. 40); eos Thucydides quoque Aegyptiorum dicit bellicosissimos (I, 110). Aegyptii in terrestri exercitu non militabant [12]); naves autem instruxerant

---

9) Herod. IX, 107 extr., sq. Secundum Diodorum Ecbatana revertit (XI, 36 extr.).

10) Vide notam I.

11) cf. Her. III, 91; V, 49, 52; Strabo XIV p. 728 A: λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σούσιοι. (Herm. ad h. l.)

12) Her. IX, 32.

ducentas (v. 34—41)[13]. — Tertio loco chorus Lydos nominat, ad quos (superiores trans Halyn dominos) pertinere dicit omnes continentis (trans Halyn) incolas: in quibus erant Iones. De his, ut recte observavit Blomfieldius, Aeschylus mentionem facere noluit, sed complectitur eos nomine Lydorum (quorum intra fines sex urbes Ionicae sitae erant teste Herodoto I, 142). „Facinus indignum putabat Atheniensium colonorum posteros a Xerxis partibus stetisse, noluit tamen iis culpam imputare, cum in eos bene affecti essent Athenienses; vid. Her. IX, 106.“ Non legimus apud Herodotum ex populis illis ullum curribus (v. 47) militasse; teste eo currus agebant Indi et Libyes (VII, 86). Equidem Aeschylum hoc loco studiosius varietatem, quam veritatem secutum esse confirmaverim. E populis Lydorum nomine comprehensis proprie affert germanos Lydos (Tmoli accolas) et Mysos[14]; utrique narrante Herodoto (VII, 74) eidem duci subiuncti pedibus merebant; illi more Graecorum erant hastati (cf. locus III); hi iacula adusta gerebant (v. 42—53). — Quarto loco chorus ponit Babylonios, quorum (superiorum in Syria dominorum) nomine universos comprehendit Syros. ναῶν ἔποχοι (v. 55) Phoenices sunt[15]. Ipsi Babylonii vel Assyrii inter pedestres erant copias[16]. Phoenices autem (cum Syris Palaestinensibus) naves comparaverant trecentas[17]) (v. 53—56). — Postremo chorus ex omni Asia puberes ad bellum ivisse dicens populos quattuor illis nominibus non comprehensos ad unum omnes addit (v. 57—59).

II. De ducibus Persarum Aeschyleis (v. 22—52, 297—323, 932—970).

E ducum Persicorum nominibus, quae profert Aeschylus,

---

13) id., VII, 89.
14) Vide notam II.
15) Id quidem recte adnotavit Hartungius.
16) Her. VII, 63.
17) ibid., 89.

apud rerum scriptores perpauca inveniuntur. Quod sic explicat scholiasta: τὰ μὲν τῶν ὀνομάτων ἱστόρησεν, τὰ δὲ τελείως ἔπλασεν. Recentiores viri docti in scholiastae explicatione solent acquiescere. Nos vero rem accuratius perquiremus. Quaeritur:

1.) num Aeschylus veris nominibus uti potuerit,

2.) num Aeschylus veris nominibus uti voluerit.

ad 1.) E Iacobsii (l. l. n. 2, p. 53 sq.) sententia, ut accurate poeta duces posset nominare, necesse fuerat Graecos frequentius habuisse cum Persis commercium. Quod prorsus nego. Quindecim mensibus, quibus Persae in Graecia sunt versati, Graeci haud dubie magnam singularum tum rerum tum personarum, etiam inferiorum, nacti sunt notitiam, quae postea, dum in Asia magis magisque consistunt, aucta est. Septimo post Persarum eiectionem anno multa etiam singulorum vel facinora vel casus in Graecorum sermonibus viguisse putandum est, quae merito praetermissa sint a rerum scriptoribus. Sane, si nomina evanuissent, confictione opus fuisset ob rationem poeticam: neque enim in tragoedia, qua induceretur aula Persica calamitatem maerens, omitti poterat accuratior de caesis nobilibus Persis percontatio, narratio, lamentatio. Atqui non evanuerant nomina. Ergo veris uti poeta potuit.

ad 2.) Quod ad poeticam rationem attinet, nihil erat, cur vera nomina vitarentur. Quod vero attinet ad popularem, erat profecto, cur adhiberentur. Videas enim, utrum Graecos libentius audivisse putes de hostibus commenticiis, an de veris, quos sibi succumbere meminissent.

Iam vero quid dicamus de eo, quod

a) nonnulli duces alias gerunt provincias apud Aeschylum atque apud Herodotum,

b) nonnulla nomina alias habent formas apud Aeschylum atque apud Herodotum,

c) multa nomina Aeschylea omnino non inveniuntur neque apud Herodotum neque apud ceteros rerum scriptores?

In universum quidem respondere licet fortasse haud ita pauca nomina vel Aeschylea vel Herodotea per librarios esse corrupta; certe nomina propria maxime corruptioni sunt obnoxia. Sed hoc removeamus.

ad a.)

α) In singulorum ducum provinciis facile poterat errari. Apud Ctesiam quidem et Diodorum eiusmodi errorem deprehendi. In loco Achaemenis (cf. n. 94) hic ponit Megabatem (XI, 12), ille Onopham (Pers. 26), qui Herodoto est Otanes (VII, 61 cf. Ctes. Pers. 20).

β) Fortasse Xerxes inter bellum de ducibus unum et alterum provincias inter se permutare iussit, quod eo facilius poterat, quo laxior ducibus erat cum iis, quibus praeerant, necessitudo (cf. quae ad c, α dicemus).

ad b.)

α) Barbara nomina aliis dialectis aliisque temporibus aliter ἡλληνίσθη. (Illustre exemplum est Μάρδος=Σμέρδις cf. loc. XV).

β) Potest factum esse, ut poeta e nominibus aliqua ob rationem metricam paullum immutaverit. Quamquam id non puto accidisse in nomine Ἀρταφρένης (v. 22), licet hoc cum scholiasta (ad h. l.) putent viri docti; cf. loc. XV. Sed accidisse potest in aliis nominibus. Poetam sibi aliquid licentiae sumpsisse declarat α anceps in Ἀρτεμβ ά ρης (v. 30, 297) et in Φαρανδ ά κης (v. 32, 932).

ad c.)

α) Herodotus superiorum tantum ordinum duces enumerat, qui omnes genere erant Persae; inferiorum ordinum duces, sive Persae erant, sive eorum, quibus praeerant, populares, omittit (VII, 96, 81). Quod si apud Aeschylum myriarchae et chiliarchae, Aegyptii et Lydi et Mysi et Bactrii et Medi inveniuntur, quo iure eos fictos esse dixeris? E navalium sociorum ducibus popularibus quidam ab Herodoto commemorantur (VII, 98), quorum unum apud Aeschylum reperias (Syennesin, v. 321).

β) Fortasse Aeschylus nonnullorum ducum, qui quidem cognomina habebant satis nota, cognomina adhibuit, Herodotus sola nomina memoriae prodidit.

Iam de singulis nominibus quid sentiam, ostendam. Ne „fortasse“ et „ut videtur“ saepius interponatur, sententias firmiter atque astricte enuntiabo, quas tamen velut modeste propositas benigne accipi velim.

1. Ἀμήστρης [18]) (v. 22), Otanis, germanorum Persarum ducis, cognomen, e quo filia eius Amestris nominata. [19])

2. Ἀρταφρένης (v. 22), Herodoti Ἀρταφέρνης (VII, 74); sed Aeschylo non est dux Lydorum et Mysorum, ut Herodoto, verum populi cuiusdam ‚Persici' (cf. p. 11). Cf. loc. XV.

3. Μεγαβάτης (v. 23) unus e summis classis ducibus; cf. Diod. Sic. XI, 12; ab Herodoto nominatur Μεγάβαζος ὁ Μεγαβάτεω (VII, 97); dicendum erat Μεγαβάτης ὁ Μεγαβάζου.

4. Ἀστάσπης (v. 23), Herodoti Ὑστάσπης, Xerxis ex utroque parente germanus, Bactriorum et Sacarum dux (VII, 64).

5. Ἀρτεμβάρης (v. 30, 297, 945) prognatus Artembare Medo, quem commemorat Herodotus (I, 114 sqq.; IX, 122), equitum Medorum (10,000) myriarchus (v. 297), legatus Harmamithris [20]). — Risit Siebelisius equitem in pugna navali occisum (p. 59). Ne ipse quidem risum tenerem, si quis persuadere mihi studeret equitasse eum in triremi. Sed ut Mardonius post pugnam Salaminiam Aegyptios bellatores, Hermotybes et Calasires, e classe in terrestrem exercitum ascivit [21]), ita Xerxes ante pugnam Salaminiam fortissimos vel pedites vel equites ad navium praesidia confirmanda coegerat. Equum nimirum eques in littore commiserat caloni.

6. Μασίστρης (v. 31, 944) [22]), Herodoti Μασίστιος, qui ad Plataeas universo equitatui praeerat ibique caesus est (IX, 20 sqq.) [23]); poetae licebat caedem eius anticipare; alias res anticipatas infra inveniemus (cf. loc. XIII).

7. Ἰμαῖος (v. 32), populi cuiusdam ‚Persici' dux popularis; arcubus quidem omnes populi ‚Persici' armati erant [24]).

---

[18]) Vide notam III.

[19]) Herod. VII, 61.

[20]) Suspicor in equitatu Harmamithrem praepositum fuisse Persis et Sagartiis et Medis et Cissiis, Pharnuchem posteaque vice eius Matallum (cf. 25) Indis et Bactriis et Caspiis, Tithaeum reliquis; Her. VII, 84—88.

[21]) Her. IX, 32.

[22]) Vide notam IV.

[23]) Non potest esse Herodoti Μασίστης, Xerxis ex utroque parente germanus, qui erat inter summos terrestris exercitus duces (VII, 82); is enim salvus e bello evasit (IX, 107, 113).

[24]) Her. VII, 61 sqq.

8. Φαρανδάκης (v. 32, 932) Herodoti Φερενδάτης, Sarangarum dux (VII, 67)[25].

9. Σωσθάνης (v. 33), dux populi cuiusdam, ,Persici', equis merentis.

Sequuntur quattuor e praefectis classis Aegyptiae, cui universae praeerat Achaemenes, Xerxis ex utroque parente germanus[26].

10. Σουσισκάνης (v. 35, 934), Persa, Achaemenis, qui simul toti officio maritimo erat praepositus (cf. n. 94), in gubernanda Aegyptia classe adiutor.

11. Πηγασταγών (v. 36), Aegyptius, unus ex Hermotybium aut Calasirium principibus[27].

12. Ἀρσάμης (v. 38, 3o3), Persa, praeses Aegypti mediae et dux classiculae inde delectae. Non est idem atque Herodoteus Arabum et Aethiopum dux regisque ex patre germanus (VII, 69). Nam is e bello evasit, id quod sequitur ex Herodoti silentio. Neque enim profecto de Arsamis caede Herodotus tacuisset, si quidem vel Abrocomem et Hyperanthem, qui Xerxis e patre germani propter adolescentiam nondum obtinebant locum superiorem, cecidisse memoratu dignum habuit (VII, 224). Erant igitur, ut duo (vel plures) Ariomardi (cf. sequentia), ita duo (vel plures) Arsames cum Xerxe profecti: omnino frequenter cognomines inter Persas invenimus.

13. Ἀριόμαρδος (v. 39, 316), Persa, praeses Aegypti superioris et dux classiculae inde delectae. Herodotus duos commemorat Ariomardos, alterum Caspiorum ducem (VII, 67), alterum Moschorum et Tibarenorum eundemque Xerxis e patre germanum (ibid., 78). Certe hunc statuendum est non esse eundem atque Aeschyleum et quidem eadem de causa, de qua Arsamem Aeschyleum atque Herodoteum non eundem esse statuimus[28].

Sequuntur quattuor ,Lydorum' duces populares.

---

25) Nolim cum Stanleio cogitare de Herodoti Φαρανδάτῃ (VII, 79), cuius imperio subiecti, Mares et Colchi, non pertineant ad ,Persas'.

26) Her. VII, 97.

27) Vide notam V.

28) Vide notam VI.

14. Μιτρογαθής (v. 44).
15. Ἀρκεύς[29]) (v. 45).
16. Μάρδων (v. 52), germanus Lydus (Tmoli accola v. 50).
17. Θάρυβις (v. 52), item. (cf. n. XI.)

Transeamus ad occisos duces, quos enumerat nuntius. [Supra iam commemoratos praetermittemus.]

18. Δαδάκης (v. 299), chiliarchus, ante pugnam Salaminiam ad navem rescriptus (cf. quae ad 5 diximus p. 15).

19. Τενάγων (v. 301), Bactriorum dux popularis, legatus Astaspis, ante pugnam Salaminiam ad navem rescriptus[30]).

20. Λίλαιος (v. 303, 943), in Aegyptia classe ordinis ductor.

21. Ἀργήστης (v. 303), item. (νῆσον τὴν πελειοθρέμμονα cum Hermanno puto unam e parvis insulis esse Salaminem adiacentibus.)

22. Ἀδεύης (v. 307), Aegyptius, in Ariomardi classicula ordinis ductor[31]).

23. Φρεσεύης (v. 307), Aegyptius, Adeuis adiutor[31]).

24. Φαρνοῦχος (v. 308, 940) Persa, Adeuis in navi propugnatorum praefectus[32]). Non est confundendus cum Herodoti Φαρνούχῃ, Harmamithris et Tithaei in equitatus imperio collega; is ne pervenerat quidem in Graeciam, sed aegrotus Sardibus erat relictus (VII, 88).

25. Μάταλλος (v. 309), Chryse Indorum[33]) ortus, equitum Indorum (10,000) myriarchus, una cum equitum Bactriorum (10,000) et Caspiorum (10,000) myriarchis subditus Pharnuchi. Sed postquam is Sardibus in morbum est coniectus, imperium eius ad tres myriadas pertinens mandatum est Matallo fiduciarium.

26. Ἄραβος (v. 313), Magorum, gentis Medae[34]), dux

---

[29]) Vide notam VII.
[30]) Vide notam VIII.
[31]) Vide notam IX.
[32]) Cf. Her. VII. 96: ἐπεβάτευον δὲ ἐπὶ πασέων τῶν νεῶν Πέρσαι καὶ Μῆδοι καὶ Σάκαι.
[33]) Steph. Byz. — De Chryse Troicorum (Hom. Il. I, 37, saepius) cogitari nequit, quoniam Troici non merebant equis.
[34]) Her. I, 101.

popularis, legatus Tigranis [35]), ante pugnam Salaminiam ad navem rescriptus [36]).

27. Ἀρτάμης (v. 313), Bactrius, legatus Tenagonis, ante pugnam Salaminiam ad navem rescriptus.

28. Ἄμιστρις (v. 315), Persa, navis praesidio praefectus. (cf. n. III).

29. Ἀμφιστρεύς (v. 315), item.

30. Σεισάμης (v. 317), Mysorum dux popularis, ante pugnam Salaminiam ad navem rescriptus.

31. Θάμυρις [37]) (v. 318, 944), Lyrne vel Lyrnesso, oppido Troico [38]), oriundus, legatus Megabatis [39]), navibus Lyciorum et Doriensium et Hellespontiorum praepositus, quarum erant 250 vel ad amussim 257 [40]).

32. Συέννεσις (v. 321), rex idemque satrapa Ciliciae [41]), dux popularium, qui inter Megabatis copias navales militabant [39]). Herodotus eundem laudat (VII, 98).

Reliquum est, ut duces in κόμμῳ (v. 886—1048) enumeratos singulos [omissis iis, qui iterum aut tertio commemorantur] persequamur.

33. Σούσας (v. 933), legatus.

34. Πελάγων (v. 933); cf. n. VIII.

35. Δωτάμας [42]) (v. 933); Herodotus commemorat Δῶτον, Paphlagonum et Matienorum ducem (VII, 72).

36. Ἀγδαβάτας (v. 934), legatus.

---

[35]) id., VII. 62.
[36]) Vide notam X.
[37]) Vide notam XI.
[38]) Steph. Byz.
[39]) Probo conjecturam Dunckeri (IV. 732); cf. n. 85.
[40]) Her. VII., 92, 93, 95.
[41]) Cf. Dunck. II, 481, n. 2 extr. — Tres praeter nostrum Syenneses inveniuntur Ciliciae reges (Her. I, 74; id., V, 118; Xen. An. I, 2). Unde Stanleius (ad Aeschyli locum) et Dunckerus (ibid. 489 extr. sq.) coniecerunt, Syennesis nomen Ciliciae regibus fuisse commune.
[42]) Vide not. XII.

37. Ψάμμις (v. 933), Aegyptius, regia stirpe ortus[43]), obses Agbatanis moratus indeque cum Xerxe in bellum profectus[44]).

Quod dicit Xerxes cecidisse illos Τυρίας ἐκ ναός (quod dictum est pro Τυρίων ἐκ ναῶν) non potest pertinere ad omnes. Susiscanes certe et Psammis Aegyptiis navibus vecti sunt ideoque ex Aegyptiis ceciderunt. Sed homo prae animi commotione minus accurate choro respondet; de Phoenicia autem navi loquitur, quia Phoenicum classis et praestantissima[45]) et auctor fugae calamitatisque[46]) fuit.

38. Σευάλκης (v. 942), in Aegyptia classe ordinis ductor.

39. Μέμφις (v. 943), Aegyptius, in Aegyptia classe ordinis ductor.

40. Ὑσταίχμας (v. 945), dux populi cuiusdam equis merentis.

41. Ἄλπιστος (v. 954), unus e ‚regis oculis', quem Xerxes secum duxerat; ‚regis oculi' appellabantur eunuchi quidam, qui erant a quibusvis rebus recognoscendis atque ad regem deferendis[47]). Alpistus, ut egregie observavit Blomfieldius, apud Doriscum „praeerat copiarum recensioni, quae κατὰ μυριάδας fiebat, decem milibus hominum septo quodam inclusis, dein aliis decem milibus et sic deinceps"[48]). Non mirandum est, quod chorus Persicus homunculo, quem Herodotus ne commemorat quidem, addita genealogia plurimum affert ponderis: erat enim ille regi in amoribus. Ceterum haud dubie spectatores Graeci, inter quos sola virtus valeret, non regis favor,

---

43) Ψάμμις, Ψαμμίτιχος, Ψαμμήνιτος nota sunt Aegyptia nomina regia.

44) Fallitur Dunckerus, qui vocabulo παραστάται (v. 931) praecipuam assignans vim v. 932—935 de septem gentium Persicarum principibus cogitat (II, 579). Vocabulum illud etiam ad Ariomardum (v. 941), ceteros pertinet; numerus autem septenarius v. 932—935 non magis est consultus atque insignis, quam v. 964—970.

45) Her. VII, 96.

46) Cf. Diod. XI, 19 et loc. VIII.

47) Cf. Stanl. ad h. l. et Dunck. II, 648.

48) Her. VII, 60.

hoc loco simili praestantiae sensu affecti sunt, ac v. 364 sqq. et 430 sqq.; addam 212 sqq., 695 sqq., 848 sqq.

42. Πάρθος (v. 957), Alpisti socius.

43. Οἰβάρης (v. 957), item. Nomen Οἰβάρης inter Persas satis frequens erat; apud Herodotum duo Oebares inveniuntur (III, 85; VI, 33), apud Ctesiam unus (Pers. 2).

Seriem concludunt septem duces germanorum Persarum, partim Otanis, partim Harmamithris legati.

44. Ξάνθις (v. 966), Mardorum (10,000) myriarchus. (De Mardis, gente Persica, cf. Her. I, 125.)

45. Ἀγχάρης (v. 967), alius gentis Persicae dux.

46. Δίαιξις et

47. Ἀρσάκης (v. 968), equitatus Persici praefecti.

48. Κιγδαδάτας (v. 969), cuiusdam gentis Persicae dux.

49. Λιθύμνας (v. 969), item.

50. Τόλμος (v. 970), item.

III. Tractantur ea, quae de Xerxis itinere chorus profert (v. 66—87).

(Str. α.) Chorus cantum lyricum orditur suscipiens cogitationem de exercitu Hellespontum transgresso. Ludit vocabulo περσέπτολις, Persarum ex nomine omen faciens. Quae de Hellesponti iunctione profert [49]), congruunt cum descriptione Herodotea (VII, 36), cuius summa haec est: Xerxis opifices duos pontes facere iussi, alterum ad exercitum, alterum ad impedimenta traiicienda (Aeschylus autem unum respicit priorem), duos navium ordines transverso freto constituerunt et supra utrumque ab altero littore usque ad alterum immensos funes intenderunt senos — binos lineos, qui erant firmiores, quaternos papyrios — quibus et continerentur naves (λινόδεσμος σχεδία) et via inniteretur supra munienda (πολύγομφον ὅδισμα) [50]). Quam

---

[49]) Vide notam XIII.

[50]) Cf. Grotius III. 17 sq.

muniverunt sic: supra intentos funes tigna iniecerunt eaque religata lignis humoque constraverunt; denique utrimque septum exstruxerunt, ne pecudes mare conspicerent.

(Antistr. α.) Chorus cogitatione prosequitur Xerxem duplici exercitu ab Hellesponto Doriscum proficiscentem [51]). Xerxem totam Europam (eam recte codicis Medicei glossator intelligit πᾶσαν χθόνα) sub suam potestatem redigere voluisse constat; Herodotus ipsum id facit pronuntiantem [52]). Duces pedestres et navales, quorum fortitudine ac severitate Xerxes confidat, chorus intelligit summos, quos enumerat Herodotus VII, 82 (cf. 121) et 97. Xerxis genus dicitur auro prognatum, quippe cuius auctor sit Perseus Iove in pluviam auream converso genitus [53]), ipse autem Xerxes deo par dicitur ob potentiam, magnificentiam, formam [54]). Narrante Herodoto eum, cum transisset Hellespontum, Hellespontius quidam Iovi comparavit [55]).

(Str. β.) Iam in chori animum incurrit imago Xerxis apud Doriscum copias lustrantis, Süvernius (l. l. p. 4) chori verba Σύριόν [56]) θ᾽ ἅρμα διώκων spectare vidit ad verba oraculi Atheni-

---

[51]) Her. VII. 58.

[52]) VII, 8: (τὰς χώρας) πάσας ἐγὼ . . . . . μίαν χώρην θήσω, διὰ πάσης διεξελθὼν τῆς Εὐρώπης.

[53]) Graecorum fama Persarum nomen a Perseo deducebat (Her. VII, 61). Xerxem e Persei posteris esse, ut Aeschylus, ita Lycophron fingit Cassandr. v. 1403 sqq.:

ἀλλ᾽ ἀντὶ πάντων Περσέως ἕνα σπορᾶς
στελεῖ γίγαντα, τῷ θάλασσα μὲν βατή
πεζῷ ποτ᾽ ἔσται, γῆ δὲ ναυσθλωθήσεται
ῥήσσοντι πηδοῖς χέρσον.

„Fortassis Lycophron ea ex Phineo Aeschyli petierat, ubi talia aliqua indicata fuisse veri simile est" (Preller. l. l. p. 15, n. 15).

[54]) Her. VII, 187 extr.: ἀνδρῶν δ᾽ ἐουσέων τοσαυτέων μυριάδων, κάλλεός τε εἵνεκεν καὶ μεγάθεος οὐδεὶς αὐτῶν ἀξιονικότερος ἦν αὐτοῦ Ξέρξεω ἔχειν τοῦτο τὸ κράτος.

[55]) VII, 56: ὦ Ζεῦ, τί δὴ ἀνδρὶ εἰδόμενος Πέρσῃ καὶ οὔνομα ἀντὶ Διὸς Ξέρξεα θέμενος ἀνάστατον τὴν Ἑλλάδα ἐθέλεις ποιῆσαι κ. τ. λ.;

[56]) ἀντὶ τοῦ Ἀσσύριον, schol. — Herodotus (VII, 63) de Assyriis dicit: οὗτοι δὲ ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων ἐκαλεῦντο Σύριοι, ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν. „Oritur differentia ex additamento articuli Arabici" (Stanl. ad Aeschyli locum).

ensibus paullo ante, quam Europam Xerxes attigit, dati, quod servavit nobis Herodotus (VII, 140), Συριηγενὲς ἅρμα διώκων: quod Pythia de Marte dixerat, id Aeschylus ad ipsum Xerxem rettulit, apud Doriscum praeter copias dispositas διεξελαύνοντα ἐπ᾽ ἅρματος [57]). — Chorus Graecos dicit hastis inclytos, Persarum Martem arcus potentem. Graecos praecipue hastis pugnasse, Persas arcubus satis notum est. Poeta etiam atque etiam sublimi quodam spiritu popularium nobilem cominus, barbarorum ignobilem eminus pugnandi rationem inter se opponit. V. 146 sqq. arcus barbarum, hasta Graecum significat exercitum. V. 238 Atossa e choro quaerit, num Athenienses sicut Persae sagittis pugnent, quod sequenti versu chorus negat affirmatque hastis eos uti et clypeis. V. 273 nuntius arcus nullam opem tulisse queritur. Cf. praeterea v. 27, 31, 56, 264, 316 (cf. n. VI), 455 sq. (cf. n. XVII), 551, 906; ipse Xerxes proponitur sagittarius, sed is orbatus arcu et vacuam gerens pharetram (v. 988 sqq.). De hasta Graeca cf. etiam v. 299, 730, 819.

Chorus Xerxem usque ad Doriscum prosecutus, cum, quae longius procedenti evenerint, nesciat (cf. p. 10), abit ad res contemplandas.

IV. Tractatur Atossae et chori de Athenis colloquium (v. 229—244).

Non est mirandum, quod Atossa de Athenarum situ deque hominum rebus studiose sciscitatur. Etenim Athenas potissimum Xerxes petebat (Her. VII, 8; v. 232), nec profecto quidquam magis est secundum naturam, quam quod Atossa de filii salute anxia certiorem se fieri cupit de potissimarum eius adversariarum conditione ac potentia. Qui Aeschylo exprobrant, quod Atossam hic quaerentem faciat de rebus, quas dudum ei notas esse necesse sit, parum sciunt, quid arti scenicae liceat. — Gravissimus est versus 233, quo chorus captis Athenis (victis-

---

57) Her. VII, 100.

que simul Atheniensibus) asseverat fore, ut omnis Graecia in regis potestatem veniat: quod nequaquam arrogantiae tribuendum est Aeschylo Atheniensi, siquidem Herodotus Halicarnassensis idem profitetur atque comprobare studet (VIII, 139). Insequens Atossae de Atheniensium multitudine interrogatio egregie demonstrat, quid summi momenti esse putent barbari. Chorus Atossae in memoriam revocat Marathoniam cladem, nomine, ut recte observavit Siebelisius (p. 55), tamquam mali ominis causa praetermisso. Deinde Atossae de Atheniensium divitiis quaerenti argenti metalla iis esse respondet; sunt Lauriotica. Quorum commemoratio insignem habet vim, quoniam pecunia publica, quae ex iis redibat, (Themistocle auctore) aedificata erat classis Atheniensis, primaria barbarae classis deletrix [58]). De duobus versibus sequentibus proximo loco iam egimus. Iam Atossa quaerit, cui regi pareant Athenienses; quos ubi nullius hominis servos esse audivit: ‚Qui tandem', inquit, ‚sustineant hostium impetum?' Respondet chorus: ‚Olim quidem ita sustinuerunt, ut Darii magnum pulchrumque perdiderint exercitum'; Marathonis nomen iterum silentio premit. De toto loco recte Siebelisius (l. l.) observavit haec: „Ut Atossae quaestiones ex ipsa fluebant animi eius sollicitudine, sic ad eam augendam, ad nuntii exspectationem de fortuna Xerxis acuendam viamque ad mutationem rerum muniendam, — — —, denique ad laudes Atheniensium et oblectationem quam maxime erant compositae chori responsiones".

V. De gravibus vocibus v. 279—284.

Inter abruptos nuntii clamores insignem vim habere hunc ὦ πλεῖστον ἔχθος ὄνομα Σαλαμῖνος κλύειν (v. 279) Süvernius animadvertit (p. 4 sqq.). Profecto non potuit is clamor Atheniensibus non in memoriam revocare alterum oraculum paullo ante bellum iis datum eiusque interpretationem a Themistocle

---

[58]) Her. VII, 144; Corn. Nep. Them. 2.

factam. Affatum erat id oraculum Salaminem ὦ θείη Σαλαμίς et praedixerat eam perdituram esse filios mulierum. Quod cum multi Atheniensium ita interpretati essent, quasi ad Salaminem essent cladem accepturi, Themistocles ex ipsis verbis ὦ θείη Σαλαμίς argumentatus est, in hostes valere dei responsum: nam si ad Athenienses spectaret, deum Salaminem non appellaturum fuisse θείην, sed σχετλίην vel δειλήν.[59]) Iam vero Persae, postquam Themistoclis interpretatio vera evasit, habebant utique, cur exclamarent: ὦ σχετλίη Σαλαμίς vel ὦ δειλή vel ὦ πλεῖστον ἔχθος ὄνομα Σαλαμῖνος κλύειν. Qua voce ex Aeschyleo nuntio audita quanta cum delectatione in cuiusvis Atheniensis animo resonasse putas Pythiae illud ὦ θείη Σαλαμίς?

Non minorem vim in versibus sequentibus (280—284) inesse animadverti [60]). Nuntius quidem simpliciter, opinor, exclamat: φεῦ τῶν Ἀθηνῶν ὡς στένω μεμνημένος[61]). Chorus autem statim in memoriam incurrens vocis, quam olim Darius quotidie sibi acclamari iusserat, δέσποτα, μέμνεο τῶν Ἀθηναίων[62]), cum occulta animi acerbitate repetit μεμνῆσθαί τοι πάρα: ‚nimirum nunc habemus, cur meminerimus Athenarum (at non cum impetu feroci, quemadmodum Darius olim, verum cum gravi infirmitatis sensu)': ὡς πολλὰς Περσίδων μάταν ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ' ἀνάνδρους (Ἀθᾶναι). Exprimit acerba vox dolorem maximum; Athenienses autem, mihi crede, non exiguo affecit gaudio.

VI. De utriusque classis summa (v. 333—338).

Quoniam de ducibus caesis supra iam egimus, nunc, quid de utriusque classis summa nuntius dicat, videamus.

Fuerunt igitur, ut refert, Graecis naves circiter trecentae,

---

[59]) Her. VII, 141 sqq; Plut. Them. 10.

[60]) Postea vidi, ad primum quidem versum (280) idem iam animadvertisse Volckmarium (l. l. p. 668). Volckmario autem licet videre, ad v. 826 idem atque ipsum iam animadvertisse Siebelisium (p. 87); cf. n. 146.

[61]) Vide notam XIV.

[62]) Her. V, 105.

et praeter eas decem delectae, barbaris mille et praeter eas ducentae et septem celeritate praestantes [63]).

Comparemus, quae dicunt rerum scriptores. Herodoteos singularum classicularum Graecarum numeros (VIII, 43—47) si computamus, efficiuntur triremes 366. At ipse Herodotus (ibid. 48) computat 378. Quaeritur, utrum in summa, an in singulis numeris peccatum sit. Grotius (III, 88 sq.) et Dunckerus (IV, 796 n. 3) illud sumunt. Mihi vero hoc veri similius esse videtur, quoniam Herodotus infra (ibid., 82) in ratione sua stat, dicens duarum navium hostilium transfugiis Graecam classem factam esse triremium 380; quamquam, ubinam in singulis numeris peccatum sit, dicere non habeo neque audeo cum quibusdam Aegineticas naves 30 (ibid. ,46) mutare in 42. — Ctesiae, qui dicit Graecis fuisse naves 700 (Pers. 26), merito nemo habet fidem. Aeschylo fidem habet Grotius [64]. Sed sine ulla dubitatione sequenda est Herodoti auctoritas. Cur a veritate Aeschylus recesserit, facile est ad explicandum. Nuntius Graecarum navium numerum non novit penitus, neque est ad amussim hic, quem memorat, numerus, sed praesens ipsam aciem aestimavit navium trecentarum (ἦν ὁ πᾶς ἀριθμὸς ἐς τριακάδας δέκα, circiter 300; cf. Matth. Gr. 578, g), primarias autem facile numeravit decem. Nec mirum est profecto, quod minorem facit classem Graecam Aeschyleus nuntius navibus 70 (vel certe 30; fortasse enim apud Atheniensem poetam

---

63) Vide notam XV.

64) Grot. III, 89: „Wir können bezweifeln, ob diese Totalzahl, von Herodot entlehnt (366), nicht größer ist, als die der Schiffe, welche kurz darauf in der Schlacht von Salamis wirklich fochten und welche Aeschylos entschieden (?) als aus 300 Segeln bestehend angibt, mit Hinzufügung von zehn Haupt- und auserlesenen Schiffen. Der große Dichter, selbst einer der Kämpfenden und in einem Drama sprechend, das nur sieben Jahre nach der Schlacht vorgestellt wurde, ist für diesen Punkt sogar eine bessere Autorität, als Herodot." Hoc nego. Poetae numerus aperte non accuratus non est anteponendus accurato numero historici, qui, quamquam non, ut ille, pugnavit apud Salaminem, tamen pugnae tempore paucos annos natus erat adultusque abunde habebat, unde comperiret, quot naves Graecae apud Salaminem pugnassent; pugnasse autem omnes, quas paullo ante enumeravit, ipse indicat VIII, 82.

Corinthiorum naves 40, ut fuga avectae, a nuntio negliguntur)[65]; nam quo minor fingitur classis Graecorum, tanto maior evadit eorum gloria, quam quidem augere Aeschyli maximo opere interest.

Eadem de causa, scilicet ut Graecorum gloriam adaugeat, barbarae classis non tempestatis et belli calamitatibus minutae, qualis ad Salaminem pugnavit, summam profert (quod hoc etiam minus mirabile debet videri, quod de calamitatibus, quae pugnae Salaminiae antecesserunt, omnino nullus sermo est); sed profert summam classis integrae, qualis ex Hellesponto solvit. Namque 1207 naves in expeditionis initio Xerxi fuisse Herodotus refert (VII, 89 et 184), quocum consentire videtur Diodorus Siculus, de pluribus quam mille ducentis loquens (XI, 3). Quibus littus Thraciae legentibus accesserunt 120 a Graecis, qui ea habitabant, praestitae[66]; postea Carystus et nonnullae Cycladum miserunt naves[67], quae haud dubie summum erant 25, ita, ut putare liceat Xerxi instructas fuisse circiter 1350. Secundum Herodotum tempestatibus deletae sunt 400 ad littus Magnesiae (VII, 190), 200 ad Cava Euboeae (VIII. 13, cf. 7). Sed videtur ille ad primam tempestatis calamitatem cunctorum eius generis damnorum summam per errorem rettulisse. Certe, si cum Dunckero (IV, 796 n. 3) omnino 400 tantum tempestatibus periisse statuerimus, haec nostra ratio egregie congruet cum altera, quam paullo inferius proponemus. Ad Artemisium ante proelium a Graecis captae sunt 15[68]; primo proelii die 30[69]; altero[70] et tertio[71] non puto plus 100 esse expugnatas[72]. Ergo ad Salaminem reliquae

---

[65]) Athenienses Corinthios, qui naves habebant 40 (Her. VIII, 43, cf. 1) ineunte proelio fugisse dictitabant, ceteri Graeci negabant (ibid., 94). Ego cum Dunckero (IV, 797) puto Corinthios ineunte proelio longissime in puppim remigasse indeque ortum esse crimen illud ab Atheniensibus tritum.

[66]) Her. VII, 185.

[67]) id. VIII, 66.

[68]) Her. VII, 194.

[69]) id. VIII, 11.

[70]) ibid, 14.

[71]) ibid., 16.

[72]) Dunckerus l. l. dicit: „Der Verlust beim Artemision wird

fuisse videntur naves circiter 800 [73]). Iam proponamus rationem alteram contraria ex parte ductam. Paullo post cladem Salaminiam Persica classis circa Cumam versabatur Diodoro teste (XI, 27) etiamtum naves plus 400 complectens. Atqui, ut coniicere licet, ad Salaminem Persae naves circiter 400 amiserunt; ipsa pugna periisse Diodorus dicit plus ducentas praeter una cum viris captas (ibid., 19), unde totum damnum pugna factum aestimare possumus navium circiter 250; deinde proxima post pugnam nocte Phoeniciae naves clam in Asiam secesserunt [74]); erant circiter 150, siquidem veri simile est circiter dimidium classis Phoeniciae (cf. p. 12) bello fuisse superstes. Ergo ad Salaminem pugnasse videntur Persicae naves circiter 800. — Plutarchus eum numerum, quem affert Aeschylus, ad Salaminem Graecis oppositum fuisse dicens minus diligenter, quam par est historico, fecit [75]). De Ctesiae testimonio quid iudicandum sit, apertum fit ex eo, quod dicit §. 23 Xerxem naves instruxisse mille, §. 26 apud Salaminem eum habuisse plus quam mille: barbara enim classis, ut supra vidimus, ad Salaminem minor erat, quam in expeditionis initio. — Ceterorum scriptorum de Persicarum navium numero indicia omitto, quippe quae consulto non esse ad amussim exacta appareat. Collegit ea Stanleius ad hunc Aeschyli locum.

---

nach dem Verhältniß des ersten Tages sehr reichlich mit gegen 200 Schiffen angenommen sein.“ Abunde est, opinor, si cladem aestimamus navium circiter 150.

[73]) Dunckerus l. l. circiter 750 computat.

[74]) Diod. XI, 19. Manserunt aliquot Phoeniciae naves, sed paucissimae, quas in computatione nostra negligere nobis licet. (Dunck. IV, 801 n. 4: „Daß nicht alle Phöniker davon gingen, daß die Könige bleiben mußten, versteht sich von selbst; es ist auch nachher noch von phönikischen Schiffen die Rede“ — apud Herodotum VIII, 118 sq. et IX, 96; naves Phoeniciae VIII, 97 commemoratae non sunt longae, sed onerariae.)

[75]) Inter recentiores Aeschylo credendum esse opinati sunt Grotius (III, 31), alii.

VII. Tractantur ea, quae de Athenarum salute proferuntur (v. 342—344).

V. 342 nuntius Palladis urbem a diis sospitari dicit quaerentique subinde Atossae, num Athenarum urbs non sit deleta, eorum, qui viri sint, munimentum esse firmum respondet. De quibus nuntii sententiis iniuria crimen Aeschylo movit Siebelisius (p. 63), quasi Athenas deletas esse poeta negaret. Imo nuntius Themistoclea ratione urbem intelligit classem. Notum est, quod olim Themistocles Adimanto respondit, urbem non in moenibus atque aedificiis, sed in ducentis triremibus positam esse [76]); ad quod haud dubie poeta spectat. Egregie ab Hermanno ad hunc locum observata afferre liceat: „Cum constaret inter omnes captas esse vastatasque Athenas brevi ante pugnam Salaminiam, maluit poeta subindicare hanc rem, sed cum laude Atheniensium, quam non attingenda dissimulasse cladem videri. In qua re magnam artem et sagacissimum prodidit iudicium. Nam cum Atossam faceret interrogantem, ut consentaneum erat, de illa ipsa re, quam minime iucundam auditu esse Atheniensibus sciebat, fieri non potuit, quin exspectatione quadam et metu commoverentur spectatores, ne referentem audirent nuntium, quod factum esse graviter ferebant. Sed hunc metum tam callide et cogitate dispellit poeta, ut illa nuntii responsio etiam laudem et gloriam afferat Atheniensibus.“ Cum verbis ἀνδρῶν γὰρ ὄντων conferre iuvat, quod apud Plutarchum (l. n. 76 l.) Themistocles dicit: ἡμεῖς τοι τὰς μὲν οἰκίας καὶ τὰ τείχη καταλελοίπαμεν οὐκ ἀξιοῦντες ἀψύχων ἕνεκα δουλεύειν.

VIII. De pugna navali (v. 348—427).

Nuntius ab Atossa interrogatus, utrum a Graecis pugna navalis coepta sit, an a Xerxe, deum vindicem totius mali esse

---

[76]) Her. VIII, 61; Plut. Them. 11.

auctorem respondet iamque ad rem omnem ordine exponendam aggreditur (v. 345—349).

Orditur narrationem ab inclyto illo dolo; et merito quidem; sementis enim fuit cladis barbarorum. Dicit nuntius eum effectum esse per virum Graecum, ex Atheniensium castris ad Xerxem profectum (v. 350 sq., 356 sq.). Sicinnus erat, servus et filiorum paedagogus Themistoclis, ut Herodotus refert (VIII, 75), itemque Plutarchus (Them. 12), qui tamen de patria eius ab Aeschylo dissentit; dicit enim Persam eum fuisse (bello captum). Quod iure addubitat Grotius (III, 100) putatque eum Graecum fuisse ex Asia oriundum, Persicae linguae gnarum (fortasse Ionicae rebellionis tempore sub corona venditum). Ceterum, etiamsi verum esset, quod refert Plutarchus, Aeschylus scite fecisset, quod a veritate paullulum recessisset atque omni ex parte a Graecis deduxisset barbarorum calamitatem. — Nomen Sicinni ab Aeschylo videmus omissum; ceteros quoque eximie de Graecis meritos non laudat nominatim. Duxit poetam utraque ratio. Quod attinet ad poeticam, haud sane magnopere interesse potest Atossae et chori, ut singulorum, qui magna ediderint facinora, Graecorum nomina audiant: quod tamen levioris est momenti. Poetam cives nominare poesis tragicae gravitas vetabat, quod egregie observavit Hermannus. Liceat viri ingeniosissimi verba afferre: „Qui in conspectu nostro et in hac communis vitae humilitate versantur, haud facile illo magnitudinis splendore, quem requirit poesis, ita exornari possunt, ut omnis quotidianae tenuitatis recordatio evanescat.“ Quod ad popularem attinet rationem, poeta Atheniensis, ne hominum illorum gloriam scenica laude adaugeret, prohibebatur invidia populi, qui vel exsilium inferre soleret civibus praeter ceteros eximie nobilitatis. At de Themistocle contrariam ob causam tacendum erat, utpote qui iam capite esset deminutus. Insuper ob proprium illud consilium, quod in exordio commentationis exposuimus, opus erat Aeschylum singulorum nomina, tum aliorum, tum vero Themistoclis, opprimere. — Nuntius regem barbarorum adiit secundum Aeschylum, cui accedunt Diodorus (XI, 17) et Plutarchus (Them. 12). Contra Herodotus narrat (VIII, 75) ad duces eum venisse ac subinde consilii imperatorii non regem, sed duces facit auctores. Illud fortasse

recte dicit, hoc certe perperam. Sine dubio enim Xerxes, si non ipsum adiit Sicinnus, ilico de nuntio certior est factus atque ipse, quae gerenda essent, edixit [77]. — Res renuntiata in Aeschyleae personae narratione (v. 352—355) eadem est atque apud historicos. Apud Herodotum autem nuntius addit Graecos inter se esse discordes; quod sane verum erat: a poeta autem omitti oportuisse apparet. — Ceterum universus dolus apud poetam longe aliter se habet, quam in rerum memoria. Etenim re vera, quod Sicinnus renuntiavit, Graecos fugam parare, non erat fictum. Quin, cum Graecam classem iam interclusam esse advectus ab Aegina Aristides ducibus nuntiasset, plerique ex iis ne huic quidem viro omnium certissimo fidem habentes in fugiendi consilio perstiterunt [78]. Tandem, postquam navis Tenia transfugiens nuntium illum confirmavit, necessitati parentes ad pugnam sese compararunt [79]. Dolus igitur id spectavit, ut Graeci loco opportunissimo manere et pugnare cogerentur. Contra in Aeschyleae personae narratione, quae vir Graecus ad Xerxem perfert, ficta sunt dolusque id spectat, ut Xerxes ad pugnam loco ipsi alienissimo faciendam pelliceretur. Tali modo oportebat rem proponere poetam Graecum. Nam si ad veritatem eam proposuisset, haud sane grata protulisset popularibus. Animadvertendum est autem, Aeschylum ita rem instituisse, ut, quod postularet ratio popularis, poetica esset necessitas. Nempe necesse erat Persam rem perperam narrare. Qui enim is, praesertim cum esset inferioris loci homo, scire poterat, quae in castris Graecis vel ante vel post effectum dolum accidissent? Quae quoniam scire prorsus non poterat, necesse erat opinaretur viri Graeci de Graecorum fugiendi consilio nuntium fuisse commenticium et Graecos non coactos, sed ultro in loco mansisse.

De consilio imperatorio Persico Aeschylus cum Herodoto (VIII, 76) consentit. Quod continebat, ut classis Persicae, quae ad Phalerum constituta erat [80], pars maior per ordines

---

[77]) Dunckerus (IV, 790, 793) Herodotum in utraque re sequitur, Grotius (III, 100 sq.) in altera, Curtius (II, 69) in neutra.

[78]) Her. VIII, 79—81; Plut. l. supra l.

[79]) Her. ibid., 82; Plut. ibid.

[80]) Her. ibid. 66.

tres disposita secundum littus Atticum totum fretum occuparet et exitum eius ad meridiem vergentem praecluderet (v. 361 sq.); reliquae naves — erat cornu in occidentem spectans, dextrum — insulam (praeter veterem Salaminem, Budorum, Eleusinem)[81] circumvectae (v. 363) freti exitum in septentriones spectantem praecluderent iterumque dextrum classis cornu obtinerent[82]. Grotius (III, 101 sq.) et Curtius (II, 69), qui putant has per fretum usque ad exitum eius in septentriones spectantem esse promotas, quomodo sententiam suam cum Aeschyli narratione concilient, equidem indagare non possum. Neque enim motum istum poeta dixisset factum esse κύκλῳ νῆσον Αἴαντος πέριξ neque posteriore loco commemorasset, quem necesse fuisset ante alterum fieri. Poetae auctoritatem hic esse summam nemo negabit. Nam et ipse rebus illis adfuit nec sane hic habuit, cur a veritate recederet. Quapropter id quoque credendum est, quamquam a rerum scriptoribus non memoratur, molem classis barbarae per tres ordines instructam fuisse. Quod Aeschyli dictum Curtius demum in descriptionem assumpsit (II, 71). Dubito autem equidem pro aeque certo habere cum Grotio (l. l.), quod nuntius Aeschyleus addit, rerum scriptores non item, Xerxem denuntiasse, ut omnes duces, si fugiendi copiam Graecis praebuissent, supplicio afficerentur (v. 364—366). Possunt enim eae minae a poeta esse inventae, quoniam et per se minime abhorrebant a regis barbari saevitia et aptissimae erant ad sublimes libertatis ac praestantiae sensus in Graecorum animis excitandos.

Poeta nuntium exposito Xerxis consilio copiose illustrantem facit barbarae classis apparatus (v. 369—378); e quibus fere usu venientes a rerum scriptoribus merito omittuntur. Barbari coenant (sub vesperum); remiges remos circa scalmos struppis religant; post solis occasum naves conscenduntur; classiculae inter se evocant; dum cornu dextrum circum insulam navigatum

---

[81]) Vide chartam pugnae Salaminiae Grotianam.

[82]) Her.: ἐπειδὴ ἐγίνοντο μέσαι νύκτες, ἀνῆγον μὲν τὸ ἀπ᾽ ἑσπέρης κέρας κυκλούμενοι πρὸς τὴν Σαλαμῖνα· ἀπῆγον δὲ οἱ ἀμφὶ τὴν Κέον τε καὶ τὴν Κυνόσουραν (cf. Grot. III, 102, n. 53) τεταγμένοι· κατεῖχόν τε μέχρι Μουνυχίης πάντα τὸν πορθμὸν τῇσι νηυσί. cf. Dunck. IV, 793 sq.

proficiscitur, ceterae naves, ut quaeque proxime fretum constituta est, in fretum promoventur; totam deinde noctem classicularum duces suis quisque navibus quam optime disponendis consumunt (silentio utentes, ne quid hostes animadverterent)[83]). Apparet acie constituta classiculas eundem tenuisse ordinem atque in statione ad Phalerum. Tenebant autem, ut ex Herodoto (VIII, 85) et Diodoro (XI, 17) audimus, dextrum cornu Phoenices, laevum Iones. De media acie solus Diodorus accuratiora refert; qui dicit ad Phoenices se applicasse deinceps Cyprios, Cilices, Pamphylios, Lycios (ibid., 19 init.). Aegyptii, quos perperam Diodorus ad obsidendum fretum Salamini et Megaridi interiectum missos esse dicit (ibid., 17)[84]), inserendi esse videntur inter Phoenices et Cyprios[85]). Ab altera parte ad Iones sine dubio se applicabant Cares, una cum illis Ariabigni

---

[83]) Her. VIII, 76 extr.

[84]) Grot. III, 101 n. 52: „Die von Diodor angegebene Bewegung scheint mir unnütz und unwahrscheinlich. Wenn das ägyptische Geschwader dorthin gestellt gewesen wäre, würde es weit vom Kampfschauplatze gewesen sein; wir können aber sehen, daß Herodot glaubte, daß es mit den übrigen wirklich Antheil an der Schlacht nahm. (VIII, 100)". Accedit, quod Aeschylus inter duces apud Salaminem caesos nonnullos memorat Aegyptios (cf. p. 17 et 19). — Praeterea Diodorus de utriusque aciei loco perversa profert. Secundum eum proxime ante commissum proelium tota acies Persica pro exitu freti in meridiem spectante, Graeca in freto inter Salaminem et Heracleum stetit (ibid., 18).

[85]) Inseruit eos hoc loco Grotius (III, 104). Cui accedo propter ordinem, quo utitur Mardonius apud Herodotum (VIII, 100) mentionem faciens de male proeliatis Phoenicibus et Aegyptiis et Cypriis et Cilicibus. (Eundem ordinem Herodotus adhibuit in enumerandis classiculis VII, 89 sqq.) Dunckerus (IV, 796) Aegyptios collocatos fuisse putat proxime post Lycios. Quam contra conicecturam in medium proferam aliam eiusdem viri docti. Putat Phoenicibus praefectum fuisse Prexaspem, Cypriis — et Cilicibus et Pamphyliis et Lyciis — et Doriensibus et insulanis et Aeolensibus et Hellespontiis Megabatem (p. 732; eos, quos lineolis inclusi, etiam p. 793 Megabati parentes facit, p. 796 subito Achaemeni, Aegyptiorum duci, attribuit). Quid? num veri simile est, Megabatis copias interruptas fuisse copiis Achaemenis?

subditi [86]). Restant Cares inter et Lycios Hellespontii, Aeolenses, insulani, Dorienses.

Et nox procedebat, ut pergit nuntius Aeschyleus, nec profecto Graecorum classis clandestinam fugam parabat (v. 379 sq.). Manebat autem, ut supra iam indicavimus, re vera, quia fugere non poterat, quemadmodum vero nuntii fert opinio, quia fugere nolebat: quam quidem opinionem et ipsa comprobat loquendi ratio (κοὐ μάλα). Quae in navalibus Graecorum castris acciderunt, nuntio ignota sunt. Nescit de concione Graecorum post lucis ortum convocata; nescit de navi Aeginetica, dum Graeci naves conscendunt, cum Aeacidarum imaginibus ex patria reversa [87]). Narratio eius est nihil scientis, nisi quae ipse sensibus perceperit; non est plena, at plana. Primum barbari paeanem Graecorum et classicum insulae rupibus repercussum exaudiunt; terror autem eorum certe non fuit tantus, quantum fuisse dicit nuntius Aeschyleus; deinde classis Graeca ex insulae sinibus movet ac brevi omnis in conspectum barbarorum venit; dextrum cornu bono ordine praecedit; ceterae naves se applicant; Graeci magna voce inter se ad fortitudinem exhortantur; Persae respondent ingentem tollentes clamorem (v. 381—402). Secundum Herodotum (VIII, 85) in dextro Graecae classis cornu erant Lacedaemonii, Atheniensibus sinistrum tenentibus. Contra Diodorus (XI, 18) dextrum tenuisse dicit Aeginetas et Megarenses, sinistrum Athenienses et Lacedaemonios. Sine ulla dubitatione credendum est, quod dicit Herodotus, in dextro cornu, qui locus erat potissimus, stetisse Lacedaemonios. Hermannus tamen dubitans, num Aeschylus laudaturus fuerit Lacedaemonios, praesertim cum per eos effectum sit, ut Aeginetis primae decernerentur, Atheniensi autem soli Aminiae [88]), inclinato est animo ad credendum Aeginetas in dextro cornu collocatos fuisse. Sed profecto haud ita gravis est laudatio illa, praesertim cum sine nomine sit edita. Atque etiam nominatim et graviter poeta Lacedaemonios laudavit, ubi victoriam Plataeensem attigit (v. 819 sq.), quam-

---

86) Her. VII, 97.
87) Her. VIII, 83.
88) Diod. XI, 27.

quam Athenienses illis praemium non concesserant (cf. loc. XIV). In Diodori narratione unum id rectum est, quod dicit Athenienses in sinistro cornu fuisse locatos; cetera posterioris aevi errata sunt, e quibus tamen recta eruerunt viri docti, scilicet ad Lacedaemonios in dextro cornu positos deinceps se applicasse Aeginetas, Megarenses, reliquos Graecos [89]).

Iam, ut narrat Herodotus (VIII, 84), cum barbari in Graecos inveherentur, Graeci in puppim remigarunt et littori naves admoverunt, quoad una navis socia implicata est hostili. Quod scite Aeschylus tacet atque uno tenore Graecos in barbaros facit incurrentes (v. 403 sq.). Primum autem impetum fecisse narrat navem Graecam, eamque Phoeniciae navi totum detudisse aplustre (v. 404—406). Ut ex Herodoto (l. l.) videmus, certabant inter se de primi impetus gloria Athenienses et Aeginetae. Herodotus, ut fere facit, neutris accedit. Diodorus vero (XI, 27) et Plutarchus (Them. 15) et scholiastae ad Aristid. or. Panathen. (T. III, p. 179 Dind.) Atheniensibus laudem addicunt. Idem — minime autem id mirum — quamquam tecte, facit Aeschylus. Dicit enim navem illam Graecam incurrisse in Phoeniciam: Phoenicibus autem dextrum barbarae classis cornu tenentibus in sinistro Graecae classis cornu oppositi erant Athenienses. Animadvertendum est tota pugnae descriptione Aeschylum nusquam proferre Atheniensium nomen. Iterum v. 412 communi Graecorum nomine eos appellat. In describenda re Psyttaleensi, quae ab Atheniensibus solis gesta est, nomen eorum silentio premit. Est hoc ingenuae moderationis elegantisque iudicii. Poeta inurbanus sine dubio per omnem narrationem Atheniensium nomen celebrasset nimiaque gloriatione de gloria eorum detraxisset. Sed illuc, unde digressi sumus, revertamur. Trierarchus Atheniensis, qui praeclaram illam gloriam cepit, Herodoto et Diodoro est Aminias, Plutarcho Lycomedes, scholiastarum ad Aristid. alteri Socles, alteri Sophilus. Ut ab his incipiam, ‚Socles' et ‚Sophilus' nomina sunt corrupta et intelligendus est Sosicles, qui Plutar-

---

[89]) Quo iure Dunckerus (IV, 796) inter Lacedaemonios et Aeginetas Corinthios inserat, equidem non video.

cho teste eadem navi vectus est cum Aminia (Them. 14)[90]), ita ut scholiastae in summa rei cum Herodoto et Diodoro consentiant. Ac sane Herodoto et Diodoro credendum est. Nam quod ad Plutarchum attinet, unusquisque, opinor, libenter accedet Sintenisio, qui suspicatus est „insignem errorem commisisse Plutarchum, quae ad Artemisium facta sunt, transferentem ad pugnam Salaminiam: nimirum in navali ad Artemisium pugna primum Lycomedem navem cepisse hostilem affirmat Herodotus VIII, 11.“ — Aminiam fratrem Aeschyli fuisse dicunt Diodorus et Aelianus (var. hist. V, 19) et scriptor vitae Aeschyli. Quos fabulam proferre putat Hermannus. Sane mirum est non eidem demo fratres fuisse ascriptos. Erat enim Aeschylus Eleusinius[91]), Aminias secundum Herodotum Pallenensis, secundum Plutarchum Decelensis. Equidem, utrum credendum sit Diodoro, ceteris, necne, deinde, utrum Herodotus, an Plutarchus rectum proferat demum, diiudicare non habeo.[92]) Certe, si Aeschyli frater erat Aminias, poeta ingenuus eo minus poterat nomen eius celebrare. — Persica navis, quae primum impetum tulit, si sequaris Diodori auctoritatem (XI, 18 et 27), imperatoria erat eiusque in exitio et ipse interemptus est imperator navalis. Quod si verum esset, sine dubio commemoratum esset ab Aeschylo et Herodoto. Sane, ut refert Plutarchus (Them. 14), Aminias (cum Sosicle) Ariamenis — dicere debebat Ariabignis[93]) — navem cepit ipsumque occidit. At is non primus fuit impetus, ut opinatur Diodorus, neque omnino ineunte

---

[90]) Cf. Sintenisius ad. h. l.

[91]) Vit. Aesch. et schol. ad Aristoph. ranas (v. 913).

[92]) Grotius (III, 105) et Dunckerus (IV. 797) praetereuntes difficultatem Diodorum, ceteros sequuntur. Ac Dunckerus demum probat Herodoteum; contra Sintenisio magis placet Plutarcheus, quod eiusdem tribus, Hippothontidis, fuerit demus Decelensis atque Eleusinius, Pallenensis vero Antiochidis, ac probabile sit eidem tribui (per lapsum scripsit „demo“) utrumque fratrem fuisse ascriptum.

[93]) Ariamenes Plutarcheus, ut bene observavit Dunckerus (IV, 799 n. 2), confusus est ex Ariabigne et Achaemene (Her. VII, 97). Ariabignes in pugna Salaminia cecidit (id. VIII, 89), Achaemenes e bello evasit [et testibus Herodoto (III, 12; VII, 7) et Diodoro (XI, 74) postea in Aegypto ab Inaro interfectus est; contra Ctesias id de Achaemenide, Xerxis filio, narrat (Pers. 32)].

pugna factus est, ut opinatur Plutarchus, sed exeunte, postquam Athenienses fugata reliqua hostium acie ad sinistrum cornu, ubi cum Ionum et Carum classiculis stabat Ariabignes, processerunt. Denique Ariabignes non erat praepositus toti classi, sed solis Ionum et Carum classiculis [94]).

Ubi Graeca navis implicata est Phoeniciae, tota acie pugna exardescit (v. 406; Her. VIII, 84). Aeschylus planam totius pugnae expingit imaginem, summas ordine proponens. Quod non possumus laudare in Herodoto. Is enim magis singularum navium casus enarrat, ne id quidem vehementer curans, ut eos proponat eo ordine, quo acciderunt. Initio multitudo navium Persicarum restitit (v. 407 sq.); imo vero etiam, ut ex Herodoto audimus, multi Xerxis trierarchi, in quibus fuerunt Samii Theomestor et Phylacus, Graecas naves ceperunt (VIII, 85); quod commemorari non potuisse a poeta Atheniensi manifestum est; tenendum est autem, primariam eius silentii rationem esse poeticam; etenim nuntius in narranda atque conquerenda popularium miseria occupatus longe abest, ut hostium iacturas renuntiet; chori quoque et Atossae de his audire haud sane magnopere interest.

Brevi omnis navium Persicarum numerus ipsis in angustiis congregatur (v. 408 sq.), utroque cornu ad opprimendos Graecos in fretum progresso [95]). Hinc tota res converti coepta: acies barbara comprimitur; naves, quae per se propter eminentes puppes altaque constrata adversus ventum et undas difficilius

---

[94]) Quattuor praepositi erant navalibus copiis: Ariabignes Ionicis et Caricis, Achaemenes Aegyptiis, Prexaspes et Megabates reliquis (Her. VII, 97). Simul toti officio maritimo praefuit non Ariabignes, ut Grotius (III, 106) opinatur, sed, ut recte dicit Dunckerus (IV, 731), Achaemenes. Quod per se probabile est, a rege barbaro Achaemenem ex utroque parente germanum Ariabigni eundem patrem tantum habenti esse praelatum, confirmatur testimonio gravissimo Herodoti, qui Achaemenem nominat τοῦ ναυτικοῦ στρατοῦ στρατηγόν (VII, 236).

[95]) Ut supra vidimus, nocte dextrum cornu pro freti exitu in septentriones spectante, media acies per ipsum fretum, laevum cornu pro freti exitu in meridiem spectante erant collocata. Perperam Diodorus totam aciem Persicam ineunte proelio ex aequore patente in angustias facit ingredientem (XI, 18; cf. n. 84).

reguntur [96]), etiam inter se a libero motu prohibent: instant Graecae triremes barbaris in primo ordine collocatis; retro cedentibus officiunt posteriorum ordinum naves, quae et ipsae illis impediuntur, dum progredi atque iis succurrere student; quin ipsis vel rostra infligunt vel remorum alas detergunt (v. 409—411; Her. VIII, 89 extr.) [97]).

Athenienses oppositos a latere Phoenices perrumpunt, perruptos circumcludunt, circumclusos rostris petunt; permultae naves Phoeniciae deprimuntur — quod dicit poeta navium alveos esse inversos, poetica est superlatio — mare, scopuli, littora naufragiis et cadaveribus implentur (v. 412—416; Diod. XI, 18) [98]). De eo, quod Aeschylus Athenienses communi Graecorum nomine appellat, cf. p. 34.

Iam initium fit fugae; quae apud poetam brevissime descripta celeritatis speciem nanciscitur, quae veritatem aliquantulum excedit (v. 417 sq.). Haud sane simul fugerunt omnes, quae barbaram classem efficiebant, naves. Primum ab Atheniensibus profligantur Phoenices, Aegyptii, Cyprii. ‚Media acies percutitur, ubi validissimas naves post tergum suum (Phalerum versus) fugientes videt. Paullo post ipsa ab Atheniensibus, qui illas agmine composito sequentes per fretum devehuntur, a latere petitur. Naves Ciliciae, proxime post Cyprias collocatae, duplicem impetum paullisper sustinent; postquam vero princeps Syennesis cecidit (v. 321), et ipsae meridiem versus in fugam se coniiciunt. Omnes mediae aciei naves, quae etiamtum in fronte pugnant, deinceps ab Atheniensibus profligantur. Paullatim fugientium navium multitudo pugnantes abripit; omnia angustiarum incommoda ingruunt; navigia Persica inter se ipsa vulnerant. Unde Graecorum non solum media acies, verum etiam dextrum cornu fit expeditius. Aeginetae provehuntur, ut eas naves, quae Athenienses effugissent, caperent‘ [99]). — Athenienses per fretum devecti cum Aeginetis coniunguntur. Themistocles obviam fit Polycrito Aeginetae in

---

96) Plut. Them. 14.
97) Vide not. XVI.
98) Cf. Grot. III, 106; Dunck. IV, 798.
99) Dunck. IV, 798 (Diod. XI, 19; Her. VIII, 91).

Sidoniam navem incurrenti; hic illi acclamat iam se ostenturum esse Aeginetarum medismum, capitque Sidoniam navem cum omni praesidio [100]). Iam Athenienses una cum Aeginetis in sinistrum Persicae classis cornu, quod locum tenet, rostra convertunt. Iones vehementissime repugnant. Samothracia navis Atheniensem deprimit cumque ilico et ipsa deprimeretur navi Aeginetica, Samothraces iaculorum ictibus Aeginetas excutiunt eorumque navi potiuntur [101]). Ariabignes dux triremem Themistoclis iaculis vexat; deinde in Aminiae triremem ferreas manus iniicit, sed eam conscendens Aminiae et Sosiclis hastis interficitur [102]). Quo interfecto omnes fugae se mandant. Artemisia, Halicarnassensium regina, Aminiam fugiens Damasithymi, Calyndensium regis, navem demergit. Unde Aminias aut sociam aut transfugam eam ducens insidiando desistit. Xerxes autem concursum illum videns Artemisiae navem cognoscit, Damasithymi navem hostilem esse opinatur; neque unquam verum comperit [103]). — Aeschylus, qui ob rationem popularem ne supra quidem, ubi gentes cum Xerxe profectas commemoravit, Ionum mentionem facere voluit, eandem ob rationem hic vel diligentius vitavit acris, quam cum illis Graeci pugnarunt, pugnae mentionem.

Res singulas proferre Aeschylum vetabat poetica ratio: neque enim nuntio adumbranti ingentem universae classis calamitatem in mentem poterat venire, ut singularum navium casus narraret. Maxime vero omittenda erant, quae Persis erant laeta, velut Samothracum facinora. Primum enim non quadrabant in narrationem flebilem; deinde tristia erant Graecis.

Poeta insectationem magnifice illustrat (v. 419—423). Barbaros comparat cum piscibus indagine captis. Obversati sunt ante oculos eius maxime, opinor, urgentes ab altera parte Athenienses, ab altera Aeginetae, qui barbaros fractis navibus vel in tabulis natantes vel ipsis in undis, postquam tela consumpserunt, remorum fragmentis trucidabant. Graeci

---

100) Her. VIII, 92.
101) ibid., 90.
102) Plut. Them. 14 (cf. p. 35 extr. sq.); Her. VIII, 89.
103) Her. VIII, 87 sq., 93.

caedem continuant inter barbarorum eiulatus, ipsorum clamores laetissimos[104]), quoad appetiit nox.

Quod deinde dicit nuntius non posse dierum decem spatio mala omnia narrari neque unquam uno die tot hominum milia cecidisse (v. 424—427), superlationes sunt haud sane mirandae. Sed tamen ingens erat Persarum clades. Deperdiderunt naves plus ducentas praeter una cum viris captas[105]). Navium depressarum praesidia maxima ex parte perierunt, cum plerique barbari nandi essent imperiti[106]); ducentae autem naves vehebant quadraginta sex milia hominum, siquidem ducentos et triginta vehebat una quaeque[107]). Graeci quadraginta tantum naves amiserunt, cumque perite possent natare, qui naves amiserant ipsi incolumes, ad Salaminium littus enatarunt[106]).

IX. De re Psyttaleensi (v. 430—459).

Res in insula Psyttalea gesta apud Aeschylum valde premitur. Primum enim nuntius, priusquam ipsam exponit, gravissima praemittit verba. Affirmat enim ne dimidium quidem malorum se narrasse ac restare, quae vel altero tanto sint maiora. Deinde rem ipsam, quae ab Herodoto (VIII, 76 et 95) et Plutarcho (Aristid. 9) paucis adumbratur lineamentis, a Diodoro et Plutarcho omittitur, accurate describit.

Priusquam, cur ita apud Aeschylum res prematur, explicemus, ipsam narrationem (v. 442—459) cum historicorum narrationibus componamus. Nuntius igitur plane epice exorditur: est insula quaedam pro Salamine sita, parva, importuna navibus, Pani sacra (v. 442—444). Nomen non affert; erat autem, ut apud rerum scriptores legimus, Psyttalea[108]). Eam igitur insulam

---

[104]) Vide notam XVII.

[105]) Diod. XI, 19.

[106]) Her. VIII, 89. Quod Dunckerus (IV, 801) dicit, neminem omnium barbarorum nare potuisse, et per se veri est dissimile neque hic ab Herodoto dicitur et alibi (VIII, 129) aperte negatur.

[107]) Her. VII, 184.

[108]) Animadverti velim circuitionem, qua Psyttalea, itemque

ante proelium iussu Xerxis (Herodoto autem auctore iussu ducum) multi Persarum occupaverant (v. 445); florem eos exercitus fuisse unus memoriae prodidit poeta (v. 436—438). De consilio, quo Persae ibi fuerint collocati, idem historici atque poeta (v. 445—448) proferunt: duplex erat consilium, ut appulsos ad insulam hostes occiderent, socios servarent. Nec vero multos aut hostes occiderunt aut socios servarunt. Simulatque enim Graeca classis vicit[109]), milites Graeci gravis armaturae ad insulam appulerunt (v. 449—452). Erant autem testibus rerum scriptoribus Athenienses e praesidio in Salaminis ora collocato[110]) ducebatque eos Aristides, qui primus insulam a Persis occupatam esse animadverterat[111]). De eo, quod neque Aristidem neque Athenienses nominat Aeschylus, supra iam exposuimus. — Quomodo res Psyttaleae gesta sit, accuratius unus describit poeta (v. 452—459). Graeci, ut narrat, postquam e navibus exsiluerunt, totam insulam cingunt omne Persis effugium intercludentes; ac primum quidem ab iis ex altiore loco (acclivis enim est insula) saxa sagittasque deiicien-

alteram, qua tribus locis Salamis designatur; dicitur scilicet haec v. 302, 363, 599 sq. insula Aiacis. Non raro Aeschylus de industria vel uno vocabulo spectatoribus in memoriam reducit quaedam ex mythis, praecipue Homericis, itaque velut in pictura parerga proponit imagines pulcherrimas Graiisque maxime gratiosas. Sic tribus illis locis Aiacem Telamonium a patre poetarum celebratum spectatoribus ante oculos ponit. Hic autem Panis in ora vagantis mentionem iniiciens narrationi mythicum quendam admiscet colorem: verbum autem ἐμβατεύειν sonat ac resipit Homericum ἀμφιβαίνειν. Accedit tum Aiacis, tum vero Panis mentioni singularis quaedam vis. Ille enim Graecis affuerat in pugna Salaminia (Her. VIII, 64). Hic, qui Atheniensibus superiore iam bello Persico studium suum probaverat ob eamque causam sacris erat donatus (Her. VI, 105; Paus. I, 28, 4), hoc ipso loco gravissime commemoratur, ubi res exponitur gesta ab Atheniensibus. (Postremum hoc Droysenius observavit in versione ad h. l.)

[109]) Plutarchus refert rem Psyttaleensem gestam esse ante pugnam navalem; quod cum per se veri est dissimile, tum refutatur gravissimis Aeschyli et Herodoti testimoniis.

[110]) Her. VIII, 95.

[111]) Plut. l. l.

tibus vexantur[112]); tandem vero uno impetu ascendunt[113]) atque ad unum omnes concidunt[114]).

Iam videamus, cur poeta nuntium faciat dicentem Psyttaleensem calamitatem duplo maiorem esse maritima. Passovius poetam id spectasse censuit, ut Aristidis merita praedicaret praeter Themistoclem. Quae tamen sententia indignam rem poetae ingenuo subiiciens iure est explosa. Equidem assentior Vatero, qui rei Psyttaleensi a poeta summam vim tributam esse dicit „non Aristidis causa, sed Atossae. Solent enim barbarorum reges unius amici mortem gravius ferre, quam decem milia militum trucidata sibi ignotorum. Cum igitur in insula tales Persas collocasset rex, quibus ipse utebatur familiarissime, non mirum est fingi eum hac clade magis tristem, quam tota classe ab hoste victa“ (p. 245). Deinde, ut bene observavit Vaterus (p. sq.), quod non Xerxes aut Atossa est, sed inferioris loci homo, qui nimium deploret nobilis manus caedem, nihil refert: „solent enim“, inquit, „servi suum sensum ad dominorum rationem cogitandi componere, cumque intelligeret nuntius, Xerxem gravius tulisse principes illos caesos, quam victam classem, ipse quoque alterum hoc malum duplo maius vocavit.“ Fieri non potuit, quin Graeci servilem nuntii sermonem audientes ingenuitatis conscientia efferrentur. — Quod attinet ad accuratam rei descriptionem, necesse est nuntium, quod summi faciat momenti, uberius proponere. Praeterea, cum ab Atheniensibus res gesta sit, quis miretur exquisitius eam illustrari a

112) Vide notam XVIII.

113) Vide notam XIX.

114) Plutarchus repugnante et Aeschylo et Herodoto non omnes trucidatos esse refert, sed, quorum maxime deplorat caedem nuntius Aeschyleus, generis dignitate conspicuos dico, eos esse servatos; e quibus tres Xerxis sororis filios missos esse ad Themistoclem cum maxime sacrificium facientem ante pugnam ab eoque Euphrantidis vatis iussu Dionyso ‚cruda carne vescenti‘ immolatos (l. l.; Them. 13). Atque hoc quidem, quamquam Plutarchus e Phania Lesbio hausit, quem dicit ‚litterarum non rudem historicarum‘, tamen commenticium esse iam inde apparet, quod exeunte demum pugna, ut supra vidimus, Aristides in praesidium Psyttaleae collocatum impetum fecit. Denique omnino nulla est Phaniae auctoritas prae coniunctis Aeschyli et Herodoti testimoniis. (Grot. III, 104 n. 57).

poeta Atheniensi? — Animadvertendum est autem Aeschylum loqui de damnis, quae Graeci primo in insula contraxerint, de quibus ne historici quidem dicunt quidquam: πολλὰ μὲν γὰρ ἐκ χερῶν πέτροισιν ἠράσσοντο, τοξικῆς δ' ἀπὸ θώμιγγος ἰοὶ προσπίτνοντες ὤλλυσαν. Tres praeter hunc exstant loci, quibus Graecorum damnum aliquod indicatur: v. 315 sq. memoratur Amphistreus πολύπονον δόρυ νωμῶν, v. 316 sq. Ariomardus ἄρδεσι πένθος παρασχών (cf. n. VI), v. 321 sqq. Syennesis εἷς ἀνὴρ πλεῖστον πόνον ἐχθροῖς παρασχών. Certe id patet, poetam orationem secutum esse quam lenissimam; vitat enim eorum, qui damna fecerunt, nominationem, id quod maxime conspicitur loco modo laudato πολλὰ μὲν κ. τ. λ., ubi etiam verbi ὤλλυσαν obiectum praeter morem supprimitur. Omnino vero mentionem fieri aliquando etiam de damnis Graecorum duabus maxime de causis oportebat. Primum, si nusquam nisi de Graecorum emolumentis, Persarum damnis sermo esset, narratio omni careret alacri varietate. Deinde, ut quam maxima evaderet Graecorum gloria, victoria eorum proponenda erat non sine doloribus parta. Aptissimis autem locis poetam de Graecorum damnis mentionem facere, si diligentius circumspexerimus, animadvertemus. Etenim, quod ad tres illos locos attinet, nihil profecto magis est secundum naturam, quam, quae a nuntio proferuntur, necrologicae, ut ita dicam, de caesorum ducum fortitudine laudes. Quod autem attinet ad primum locum, si usquam, certe ibi non sine damnis pugnarunt Graeci, quoniam, quos ibi aggressi sunt, Persae tum per se omnium erant fortissimi, tum in insula interclusos necesse fuit saluti suae desperantes etiam exacuta ad extremam ferocitatem fortitudine resistere.

X. De Xerxis sede et fuga (v. 460—465).

Xerxes, ut porro sequamur nuntium, gravissima illa vidit mala ex edita sede ad littus sita, unde omnem prospicere poterat exercitum (v. 460—462). Sedebat autem, ut aliunde comperimus, in sella pretiosissima [115]), stipatus, ut referunt rerum

[115]) Aurea est Plutarcho (Them. 13), Tzetzi (chiliad. I, 978);

scriptores [116]), scribis, qui res in proelio gestas notarent. Locum, ubi sederit, Herodotus situm esse dicit sub Aegaleo monte exadversus Salaminem assurgente. Etiam accuratius eum descripsit Phanodemus, qui a Plutarcho (l. infr. l.) laudatur; is enim Xerxem sedisse rettulit super Herculis templum, quod contrarium erat Salaminis ligulae ad orientem versus procurrenti, ubi angustissimum fretum est. Conferantur Ctesiae verba (Pers. 26): ὁ Ξέρξης αὐτόθεν [Athenis] ἐλθὼν ἐπὶ στεινότατον τῆς Ἀττικῆς (Ἡράκλειον καλεῖται) — — —. [117])

Conspicatus igitur ingentia mala rex, ut nuntius narrat, cum eiulatu discindit vestem atque extemplo terrestris exercitus castra movens incompositae se mandat fugae (v. 463—465). De veste discissa tacent rerum scriptores. Poeta si rem finxit, egregie finxit. Moris fuisse Asiaticorum, ut in miseriis vestes discinderent, notum est atque Herodoto teste Susorum incolae accepto Salaminiae calamitatis nuntio sollemne illud luctus signum ediderunt (VIII, 99). — Quae de fuga nuntius Aeschyleus dicit, veritatem longe excedunt. Nam neque extemplo neque incomposite Xerxes fugit. Imo victum sese profiteri nolens postero die aggerem ducere in Salaminem classisque reliquiis denuo proeliari parabat: quo quamquam protinus incepto destitit, tamen nonnullos etiam dies in Attica commoratus est, quoad Themistoclis nuntio, ut videtur, ad certum compulsus consilium non sine ordine castra movit [118]). Ceterum, quod

---

ἀργυρόπους Demostheni (c. Timocr. p. 741, 5), Harpocrationi (Lex. p. 28 Lips.). (Sintenis. ad Plut. l.).

[116]) Her. VIII, 90. Plut. l. l.

[117]) Alter auctor a Plutarcho allatus, Acestodorus, in finibus Megaridis locum fuisse exposuit super montes, quibus nomen erat Cornibus. De cuius testimonio liceat afferre, quae facete notavit Grotius (III, 104 n. 55): „Wenn dieser Schriftsteller mit der Topographie von Attica bekannt war, so muß er dem Xerxes eine in Erstaunen setzende Weitsichtigkeit" (addidissem und die fabelhafte Kunst, um eine Ecke zu sehen) „zugeschrieben haben; wir aber können diese Angabe wahrscheinlich für ein Beispiel jener Nachlässigkeit in der Geographie nehmen, welche so viele alte Schriftsteller bezeichnet".

[118]) Her. VIII, 97—113; Ctes. Pers. 26; Diod. XI, 19; Plut. Them. 16; Corn. Nep. Them. 5; Justin. II. 13. Cf. Grot.

poeta nuntium rem verbis facit exasperantem, par est tum ob poeticam rationem, quia solent homines suas suorumque res adversas grandi cum dolore narrantes in maius extollere, tum ob popularem, quia aucta Xerxis ignominia augetur gloria Graecorum. Simili modo atque easdem ob rationes reliqua nuntii narratione res augeri videbimus.

XI. De gravi Atossae voce (v. 468—472).

Atossae vox πικρὰν δὲ παῖς ἐμὸς τιμωρίαν κλεινῶν Ἀθηνῶν εὗρε κ. τ. λ. (v. 468—472) insignem habet vim[119]). Etenim Darius olim certior factus Sardes captas esse incensasque ab Atheniensibus et Ionibus, nulla ratione habita Ionum, quippe quos bene nosset non impune laturos, quod defecissent, quaesivit, quinam essent Athenienses; deinde postquam audivit, poposcit arcum et sagittam arcui impositam emisit in coelum utque ea evolavit, exclamavit ὦ Ζεῦ, ἐκγενέσθαι μοι Ἀθηναίους τίσασθαι (hisque dictis mandavit uni e ministris, ut, quoties coena ipsi apponeretur, ter ipsi diceret, δέσποτα, μέμνεο τῶν Ἀθηναίων)[120]). Sed impetus eius ab Atheniensibus fractus est ad Marathonem καὶ οὐκ ἐξεγένετο οἱ τιμωρήσασθαι, ut ait Xerxes coram proceribus Persarum, quibus semetipsum promittit Atheniensium ultorem: μέλλω ἐλᾶν στρατὸν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ἵνα Ἀθηναίους τιμωρήσωμαι, ὅσα δὴ πεποιήκασι Πέρσας τε καὶ πατέρα τὸν ἐμόν. (Her. VII, 8; cf. praeterea Xerxis vocem ibid., 11: μὴ εἴην ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος . . . . τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονὼς μὴ τιμωρησάμενος Ἀθηναίους.) Has igitur ad res Atossae verba spectant. Inter quae praecipui ponderis est Athenarum epitheton κλεινῶν: urbem, de qua tamquam obscura Darius sciscitatus erat, Darii uxor

---

108—112; Dunck. IV, 800—806; Curt. II, 72 sq. — De Themistoclis nuntio veteres rerum scriptores diversa rettulerunt, recentiores viri docti diversa coniecerunt. Quae componere atque examinare longius, quam uberius est, quod quidem attinet ad rem nostram.

[119]) Idem animadvertit Volckmarius l. n. 60 l.; cf. n. 146.

[120]) Her. V, 105.

appellat illustrem. Quanta voluptate ab Atheniensibus spectatoribus receptam esse putas veteris illius opprobrii mutationem?

XII. De classis fuga (v. 475 sq.).

Nuntius ab Atossa interrogatus, ubi naves reliquerit cladi superstites, tumultuose atque incomposite eas secundo vento aufugisse dicit (v. 473—476). At re vera, postquam in Phalerico portu pernoctarunt, ad novum periculum subeundum, ut modo vidimus (p. 43), instruebantur. Sed Xerxes inceptum omisit iussitque eas in Hellespontum proficisci, ut pontes tuerentur. Profectae igitur sunt altera post pugnam nocte cum silentio ita, ut Graeci nihil animadverterent atque orto sole ad Phalerum etiamtum stare eas opinantes ad pugnandum sese compararent. Qui postquam de barbarae classis profectione certiores facti sunt, frustra eam persecuti sunt usque ad Andrum [121]). Barbara autem classis in Asiam pervenit et regem exercitumque e Chersoneso Abydum traiecit, quoniam pontes tempestate erant dissoluti; deinde pars maior Cumam, minor Samum profecta est ad hibernandum [122]). Videmus nuntium rem verbis exasperare. Idem faciebant Graeci, cum tantum fuisse narrarent barbarorum classiariorum terrorem, ut, cum prope Zosterem pervenissent, cautes tenues, quae ibi in mare prominent, naves hostiles esse opinantes procul aufugerent [123]). Quod strictim (duobus versibus) classis fugam nuntius tractat, non mirandum est; neque enim aderat nec singula, quae acciderunt, scire potest.

XIII. De terrestris exercitus fuga (v. 477—509).

Nuntius terrestris exercitus fugam, cui ipse intererat, ordine

[121]) Her. VIII, 107 sq.
[122]) ibid. 117 et 130.
[123]) ibid., 107; cf. Grot. III, 109 n. 74.

copioseque describit. Qua in descriptione multa rursum invenimus nimis aucta neque inepta videtur Vateri coniectura, qui „quamquam“, inquit, „v. 819 Plataeensem pugnam vaticinatur Darius, tamen non dubito, quin, quae v. 477 sqq. de clade et fuga exercitus pedestris narrantur, ex historia pugnae Plataeensis transsumpta sint“ (p. 242 n. 97). Aeschylus omnem barbarorum reditum tamquam fugam proponit. Sed certe iter a toto exercitu ex Attica in Thessaliam factum haud ita simile erat fugae; exercitus enim aliquot post pugnam Salaminiam dies in Attica commoratus nullo instante hoste itineribus solitis sese recepit [124]. De calamitate, quam Aeschylo narrante in Boeotia sitis barbaris intulit (v. 477—479), Herodotus nihil profert. Quod deinde poeta dicit barbaros anhelatione ex cursu contracto exhaustos in Phocidem, Doridem, Malidem pervenisse (v. 479—482), veritatem certe egreditur; neque enim, ut iam diximus, raptim agmen actum est; illud sine dubio in Artabazi fuga post calamitatem Plataeensem facta [125] atque a poeta ad Xerxis reditum translatum est. Idem dicendum est de eo, quod subinde poeta narrat (v. 483—486). Neque enim Xerxis exercitum, ubi in Thessaliam pervenit, alimenta deficere coeperunt adeo, ut plerique fama et siti perirent; quod comprobatur tum Herodoti silentio, tum eo, quod totus exercitus diutius ibi moratus est, dum Mardonius delectum habet, ipso rege satis bonum animum habente, ut videri licet ex responso, quod dedit caduceatori Lacedaemonio [126]; accedit, quod Mardonius in Thessalia magnas copias totam per hiemem aluit [127]. —

---

[124]) Her. VIII, 113.

[125]) id., IX, 66 extr.: (Ἀρτάβαζος) τὴν ταχίστην ἐτρόχαζε φεύγων . . . ἐς Φωκέας, ἐθέλων ὡς τάχιστα ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἀπικέσθαι.

[126]) Her. VIII, 114.

[127]) 260,000 barbarorum in Thessalia hiemasse parum caute dicit Dunckerus (IV, 807 n. 1). Delegerat Mardonius 300,000 (Her. VIII, 113; cf. 100 extr.); quorum cum 60,000 Artabazus Xerxem usque ad Hellespontum deduxit (c. 126), ita, ut 240,000 remanerent; e quibus partim in Macedonia hiemarunt (ibid.). Artabazo ex detrimentis in itinere (c. 115) atque ad Olynthum et Potidaeam (c. 127 et 129) factis reliqua erant 40,000 (IX, 66, 70).

Quod nuntius Aeschyleus nihil dicit de copiis in Thessalia relictis, prorsus consentaneum est naturae. Etenim homo inter gravissimas miserias in patriam reversus tam abiecto est animo, ut omnino negligat spem reliquam. Quam postea demum Darii umbra aperit: verumtamen simul inanem esse praedicat (v. 797 sq.). Τραγικώτατα sic a poeta rem institutam esse quis est, quin videat? — Iter a Xerxe ex Thessalia ad Hellespontum factum sane fugae erat simile; tam cito enim profectus est, ut quadragesimo quinto die ad locum, ubi traiecerat fretum, pervenerit [128]). Ac profecto multa magnaque eo in itinere barbari passi sunt mala. Quae acciderunt per Magnetum et Macedonum fines euntibus, poeta non affert (v. 487 sq.); erat autem teste Herodoto (VIII, 115) famis summa, quae interdum cibos abiectissimos arripere eos cogebat, deinde pestilentia et dysenteria. Barbari Macedoniam Axio traiecto, Bolbe tacta emensi ad Pangaeum, montem Edonorum, venerunt vel (quoniam Strymone etiamtum ab eo separabantur) conspectum eius adepti sunt (v. 488—490) [129]). Dum in dextra Strymonis ripa pernoctant, frigus, si auctorem sequaris poetam (v. 490—492), intempestivum ortum est duravitque omnem fluvium. Postero die barbari glacie velut ponte eum transire conabantur; qui quidem transibant, priusquam sol calesceret, salvi in adversam ripam pervenerunt; insequentes vero glacie solibus discussa submersi sunt (v. 492—502). Quo de malo ‚divinitus barbaris illato' cum tacentem viderem Herodotum eiusmodi rerum captatorem, nata mihi est dubitatio, quam nutrivit Grotius [130]).

Pugnarunt igitur ad Plataeas barbarorum 280,000, non 300,000, quem numerum rotundiorem exhibet Herodotus (ibid., 32, 70).

[128]) Her. VIII, 115.

[129]) Vide notam XX.

[130]) III. p. 112. sq. n. 82.: „Daß ein großer Fluß, wie der Strymon, in der Nähe seiner Mündung (180 englische Ellen à 3 Fuß breit und unter 40° 50′ nördlicher Breite) in einer Jahreszeit, die nicht viel später, als Anfang November liegen konnte, in einer Nacht so hart und fest gefroren sein sollte, daß ein Theil des Heeres bei Tagesanbruch darüber hinwegmarschieren konnte — bevor die Sonne warm wurde — ist eine Angabe, die gewiß einen verantwortlicheren Zeugen zu ihrer Verbürgung erfordert,

Iam persuasum habeo narrationem esse ortam a studio miseriae barbarorum multiplicandae atque aut a Graecorum fama aut ab ipso poeta belle inventam. Barbari, ut poeta pergit (v. 503—506), qui quidem salutem suam expediverant, per Thraciam maximos inter labores (quos poeta, cum iidem fuerint atque superiores, verbis appellare supersedet) iter continuarunt. In Asiam paucos pervenisse consentiens cum Aeschylo Herodotus affirmat [131]). Hellespontum, ut ex Herodoto audimus, classe traiecerunt: pontes enim tempestas deleverat (VIII, 117); quod malum prae maioribus negligit nuntius Aeschyleus. Apte denique, ubi barbaros pervenisse dixit in patriam Asiam, narrationem finit. Quamquam etiam ibi teste Herodoto (ibid.) nova calamitate imminuti sunt cibi copia abusi potuque mutato. Poeta ipsum nuntium non omnia se mala enumerasse profitentem facit (v. 508 sq.). Gravissimum vero quodque et poetica tractatione dignissimum summa arte illustrans narrationem et brevem reddidit et gravem. Quam si universam contemplamur, poetam valde res auxisse videmus; quod fecit tum ob summam fabulae

---

als Aeschylos. Er beschreibt es in der That als „einen Frost außer der Zeit“ (χειμῶν' ἄωρον), durch besondere Vermittlung der Götter zu Wege gebracht. Wenn man ihm glauben muß, so wurde außer denjenigen, welche so glücklich waren, den Strymon auf dem Eise während der Zeit zwischen Tagesanbruch und der Sonnenhitze zu passiren, Niemand von den Flüchtlingen erhalten. Man sollte glauben, es sei ihnen ein verfolgender Feind auf der Spur nachgesetzt, der ihnen nur kurze Zeit zum Entkommen gelassen hätte: da sie doch in der That keinen Feind zu bekämpfen hatten — nichts, als die Schwierigkeit, Lebensunterhalt zu finden. Während des Vorrückens des Xerxes war eine Schiffbrücke über den Strymon geschlagen worden: und es kann auch kein Grund angegeben werden, warum die Brücke nicht noch gestanden haben sollte: Artabazos muß wieder darüber weggegangen sein, nachdem er dem Monarchen das Geleite bis zum Hellesponte gegeben hatte. Noch will ich hinzufügen, daß die Stadt und das Fort Eion, welche die Mündung des Strymon beherrschte, noch einige Jahre nach diesem Ereignisse ein wichtiger fester Ort der Perser blieb, und nur nach verzweifeltem Widerstande von den Atheniensern und ihren Verbündeten unter Kimon genommen wurde“.

[131]) VIII, 115: Ξέρξης . . . ἀπικνέεται ἐς τὸν πόρον τῆς διαβάσιος . . . ἀπάγων τῆς στρατιῆς οὐδὲν μέρος ὡς εἶπαι.

sententiam, quae tota vertitur in opponendis inter se Persarum superbia et castigatione, tum, ut Atheniensium animos et delectaret et confirmaret. Similes veritatis superlationes apud morum magistros Senecam philosophum [132]) et Iuvenalem poetam [133]) invenimus. Quibus nemo eas vitio vertat. Dedecent tamen rerum scriptores, inter quos maxime reprehendendus est Iustinus, qui inter alia narrat Xerxem trepidum traiecisse fretum scapha piscatoria (II, 13).

XIV. Tractantur ea, quae Darii cum Atossa et cum choro colloquia de Xerxis incepto exhibent (v. 715—838).

Considerantes ea, quae Darii cum Atossa et cum choro colloquia exhibent, in universum poetam aliquantum a rerum memoria recedere deprehendimus. Etenim constat Darium post calamitatem Marathoniam de integro et quidem acerrime bellum comparasse atque inter ipsam belli comparationem esse exstinctum. A poeta vero ita loquens inducitur, quasi doctus calamitate illa (quam vidimus indicatam v. 235 et 243, diserte commemoratam v. 470) de Graeciae domandae consilio destiterit atque etiam Xerxem sibi successurum ab eo sit dehortatus (v. 784).

Vaticinium, quod Darius commemorat (v. 740 sq.: φεῦ, ταχεῖά γ' ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις, ἐς δὲ παῖδ' ἐμὸν Ζεὺς ἐπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων·), a poeta fictum est atque, ut cum Welckero (p. 228) puto, a Bacidis et Musaei praedictis apud Herodotum conservatis (VII, 6; IX, 42) omnino distinguendum. Quod quem locum in trilogia obtineret, idem vir ingenio praestantissimus

---

[132]) De ira III, 16: (Xerxes) victus et late longeque fusus ac stratam ubique ruinam suam cernens medius inter suorum cadavera incessit.

[133]) Satir. XI (X) 179 sqq. (Ribbeck. 1859):
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
. . . ? Nempe una nave, cruentis
Fluctibus ac tarda per densa cadavera prora:
Has totiens optata exegit gloria poenas.

Welckerus primus assecutus est: delegat nos videlicet ad primam fabulam, in qua Phineus id protulerit, Argonautis futura inter Graecos et barbaros bella exponens. Iam oritur quaestio, quomodo, quae Argonautis Phineus praedixerit, in notitiam pervenerint Darii. E Welckeri sententia cogitandum est, Phinei praedicta per Asiam esse diffusa atque conservata; fortasse ipsum vatem id futurum esse breviter indicasse. Quam sententiam si sequimur, non intelligimus, quomodo fieri possit, ut praedicta illa Dario sint nota, choro et Atossae atque adeo (id quod manifestum est) Xerxi non item. Quare ego Welckerianae sententiae opponere ausim hanc: puto cogitandum esse, Darium vaticinium apud inferos demum vel ex aliquo Argonautarum vel ex ipso Phineo comperisse. Iam vero, quae in prima trilogiae fabula Phineus Argonautis de Xerxis bello praedixit, e Darii verbis recte mihi videor concludere fuisse haec fere: ,aliquando rex Persarum duplici exercitu adversus Graeciam proficiscetur, Hellesponto vincula iniiciet pontesque imponet, in Graecia deorum sacra diruet, deinde versa fortuna ipse veste discissa in patriam revertetur, robore exercitus terrestris in Graecia relicto; quod in Boeotia ad Asopum in agro Plataeensium per Dorienses peribit, iustas sacrilegiorum poenas luens.' Non puto quemquam esse dicturum, me Aeschylo indigna ponere, si addiderim, cogitare me Phinei locum et aeque brevem vel adeo breviorem fuisse et, quod ad verba attinet, obscuriorem. De verbis suspicatus sum hoc. Phineum vaticinantem non nominasse puto Hellespontum, sed Bosporum. Complures erant Bospori: noti sunt Thracius et Cimmerius; accedit Hellespontus (cf. schol. ad Soph. Ai. 884 Elmsl.); quin secundum scholiastam ad Apoll. Rhod. II, 168 quodvis fretum nominabatur βόσπορος. Notum est verba ambigua vaticinantibus fuisse usitata. Phineum autem verbo illo ambiguo usum esse e Persarum versibus 724 et 747 collegerim. Quin totum illud Βόσπορον κλῇσαι μέγαν, quod v. 724 legitur, e Phinei vaticinio videtur esse repetitum. Namque v. 724 Darius eandem rem requirit, quam versu antecedenti Atossa confirmavit, sed aliis verbis. Vult igitur, ut non solum res, sed et ipsa verba illa confirmentur. Unde suspicor haec esse gravia, vaticinio edita, cuius eventum iam v. 717 Darius praesagire

coepit [134]). In vaticinio non Hellesponti, sed Bospori nomen adhibitum esse probaverit v. 747, qui hoc nomen illi eximia cum gravitate addit.

Darius, ubi ex Atossa audivit Persarum res paene esse eversas (v. 715), inquirendo (v. 716—739) reperit praesentem calamitatem non aliam esse ac fatalem illam Xerxemque esse regem vaticinio significatum (v. 740 sq.). Quod attinet ad singula, quae hoc loco proferuntur, primum spectanda est Athenarum commemoratio (v. 717). Dicit Atossa Darii umbrae, propter Athenas totum deletum esse exercitum; quod hoc etiam gravius est dictum, quod Athenas potissimum Darius vivus delere cupiverat. Praeterea [135]) intuendus nobis est v. 737. Dicit Atossa Xerxem pervenisse ad pontem in Hellesponto factum [136]). At is tempestate dirutus erat. At illa istuc ignorat, quoniam silentio praeteritum est a nuntio. Ego vero non dubito, quin error ille Atossae Atheniensium animos misericordia quadam commoverit.

Darius, postquam sibi persuasit vaticinium iam eventum habere, non amplius de eo tacet, sed graviter accusat filii petulantiam, quae eventum maturaverit (v. 740 sqq.). Singula conquerens non solum, quae ex Atossa audivit, commemorat, verum etiam, quae e vaticinio scit, e quo cum quaedam evenerint, etiam reliqua aut evenisse aut eventura esse persuasum habet (v. 803). Xerxem vincula Hellesponto iniecisse (v. 746 sq.) [137]) e vaticinio scit. Auctore Herodoto (VII, 35) re vera

---

[134]) Vide notam XXI.

[135]) Cum v. 719 κενώσας πᾶσαν ἠπείρου πλάκα cf. Her. VII, 19 extr. χῶρον πάντα ἐρευνέων τῆς ἠπείρου. — Cum v. 729 ναυτικὸς στρατὸς κακωθεὶς πεζὸν ὤλεσε στρατόν cf. quod Artemisia per Mardonium Xerxem monet apud Herodotum VIII, 68 ἢν δὲ αὐτίκα ἐπειχθῇς ναυμαχῆσαι, δειμαίνω μὴ ὁ ναυτικὸς στρατὸς κακωθεὶς τὸν πεζὸν προςδηλήσηται. Horum quidem locorum haud dubie non fortuita est similitudo. Assentior Vatero, qui Aeschyli versum ab Herodoto in usum adhibitum esse adnotat (p. 246 n. 15). Ceterum miror, qui huc referri posse putet Plutarchi locum (de Herod. malign. 38), ubi prolato Artemisiae praedicto negatur quidquam deesse Herodoto praeter metrum, ut ex illa faciat Sibyllam.

[136]) Vide notam XXII.

[137]) Vide notam XXIII.

Xerxes id fecit ruptis prioribus pontibus saeviens, addiditque etiam trecenta verbera. Darius vehementer istam filii superbiam incusat neque minus alteram, qua viam trans Hellespontum exercitui muniverit (v. 748 sq.). Videmus illum (hic, ut ante v. 726) loqui, quasi ipse nunquam tale aliquid perpetraverit; et tamen constat eum Bosporo pontem iniecisse [138]). Grotius (III, 13 sq.) coniecit Aeschylum de hac re omnino ignorasse. At qui potuit ignorare, cum Graeci pontem fecissent, Atheniensis Miltiades expeditioni illi interfuisset? Ergo aliter res explicanda est. Nempe Darius ab omnibus iis rebus, quas parum prospere gesserat, dehortatus est Xerxem; in quibus est etiam expeditio trans Bosporum in Scythas facta. Poenitebat eum postea Bosporum transisse atque hortatus est filium, ne idem faceret. Quem sibi non obsecutum acerbe vituperat. — ‚Pedicae malleo fabricatae' (v. 748), ut recte observavit Schützius, ancoras significant perlongas, de quibus apud Herodotum (VII, 36) legimus. Cum Herodoti descriptione egregie congruit, quod dicit poeta, Xerxem pedicis illis π ε ρ ι βαλεῖν (πόρον); narrat enim Herodotus pontes ex utraque parte ancoris esse alligatos [139]).

Atossa matrum more filium gravissime a patre accusatum excusare studet (v. 754—759). Dicit enim a pravis viris filium ad temeritatem illam esse adductum. Quod sane verum est [140]). Primus, ut apud Herodotum (VII, 5) et Diodorum (XI, 1) legimus, Mardonius ambitione accensus Xerxem proposita et ultionis et magnorum commodorum spe ad bellum Graeciae inferendum impellebat. Opitulabantur ei Herodoto teste (VII, 6) Aleuadarum, Thessaliae regum, legati quodvis adversus Graeciam subsidium promittentes, deinde Pisistratidae,

---

[138]) Her. IV, 83, 85, 87 sq.

[139]) Συνθέντες δὲ ἀγκύρας κατῆκαν περιμήκεας, τὰς μὲν πρὸς τοῦ Πόντου τῆς ἑτέρης, τῶν ἀνέμων εἵνεκεν τῶν ἔσωθεν ἐκπνεόντων, τῆς δὲ ἑτέρης τῆς πρὸς ἑσπέρης τε καὶ τοῦ Αἰγαίου, εὔρου τε καὶ νότου εἵνεκεν. Mihi quidem rem spectanti videtur cum Grotio (III, 20, n. 32) intelligendum esse τῆς ἑτέρης μερίδος (ἑκατέρης τῆς γεφύρας) . . . τῆς δὲ ἑτέρης = ἔνθεν μὲν (ἑκατέρης τῆς γεφύρας) . . . ἔνθεν δέ.

[140]) Cum v. 754 sq. cf. quod Artabanus Xerxi dicit apud Herodotum VII, 16: ἀνθρώπων κακῶν ὁμιλίαι σε σφάλλουσι.

qui Susa migraverant, idem dicentes et adducentes Onomacritum vatem, qui e praedictis ea, quae fausta erant Persis, coram rege pronuntiabat. Apparet ea, quae de mollitiei probris in Xerxem iactatis Atossa profert, non esse vera: nemo certe tale aliquid regi magno dicere ausus est. Nec tamen est mirandum, quod mater non libidinem ulciscendi vel commodorum adipiscendorum, sed pudorem multo magis irritabilem filii tentatum esse dicit. Quanto enim vehementius eum ad bellum confirmat impulsum esse, tanto magis eum excusat.

[Ea, quae de superioribus Asiae dominis deque se ipso Darius profert (v. 760—787), infra spectabimus.]

Darius a choro interrogatus, quomodo res profligatae possint erigi: ‚ita' inquit, ‚si non amplius bellum inferatis Graecis, quippe quibus ipsum terrae solum sit socium — fame perdens copias iusto maiores'. (v. 788—795)[141]). ‚At', inquit chorus, ‚delectum mittemus exercitum!' (v. 796). Respondet Darius: ‚At ne is quidem, qui in Graecia relictus est, unquam redibit'. Chorus e nuntio, ut supra vidimus, de relicta parte exercitus nihil audivit; unde mirans quaerit, num copiae non omnes in Asiam reverterint (v. 788—800).

Darius aperte professus, quae iam dicturus sit, e vaticinio se scire, Xerxem ait delectas copias reliquisse vana spe inductum[142]). Spem dicit Graeciae proximo anno domandae. Schützius, qui coniecit respici hic ad vanam oraculorum interpretationem, qua sibi suisque blanditum esse Mardonium Herodotus narrat (IX, 42 sq.), dormitavit, siquidem Xerxem verbi λείπει subiectum putavit ac non secutus est deteriorem explicationem scholiastae A (cf. n. XXIII). Xerxes enim iam dudum Sardibus erat, cum Mardonius ad Plataeas oracula perperam interpretatus est. Quod Mardonii nulla fit mentio, minime est mirandum. Namque in vaticinio, unde Darius,

141) Cum v. 793, 795 cf. quod Artabanus Xerxi dicit apud Herodotum VII, 49: γῆ πολεμίη τῇδέ τοι κατίσταται . . . λέγω τὴν χώρην λιμὸν τέξεσθαι. Hoc quoque, ni fallor, ex Aeschylo Herodotus petivit (cf. n. 135). Notissimum est veteres rerum scriptores in orationibus componendis omnem sibi sumpsisse artis licentiam.

142) Vide notam XXIV.

quae cum choro communicat, haurit, ne Xerxis quidem nomen erat, nedum Mardonii (v. 801—808). Poeta religiosus cum universam tragoediam ita descripsit, ut Persae non tam in homines, quam in deos peccasse, non tam per homines, quam per deos castigari videantur, tum in vaticinio fingendo sacrilega Persarum facinora causam proposuit calamitatis. Quattuor versibus Darium facit illustrantem, quomodo barbari in delubra saevierint (v. 811—814). Nec sane veritatem egressus est, siquidem vera sunt, quae de Xerxis et Mardonii impietate memoriae prodiderunt veteres rerum scriptores[143]). Impietatis autem piacula Darius praedicit cruentissima a Persis exactum iri ad Plataeas hasta Dorica (v. 818 sq.). Blomfieldius miratus Dorienses apud poetam Atheniensem significari primarios Persarum exstinctores, versus 818 sq. in secunda demum huius fabulae repraesentatione, quae Syracusis suadente Hierone facta est testibus Eratosthene (schol. ad Aristoph. ran. v. 1055) et auctore vitae Aeschyli, in Syracusanorum gratiam additos fuisse coniecit. Forsitan aliquis putet firmari Blomfieldii coniecturam eo, quod Athenienses post pugnam Plataeensem noluerunt palmam concedere Lacedaemoniis eaque, ne res deduceretur ad discordias, Plataeensibus est data[144]). Sed fallatur utique. Etenim Lacedaemonii, etsi victoriae praemio non sunt ornati, tamen sine controversia ad victoriam reportandam plurimum contulerunt, cum Persas, robur exercitus hostilis, in fugam coniecerunt duce Mardonio interfecto. Quod poetam ingenuum atque excelsum aeque integre agnovisse atque Herodotum (IX, 71) persuasissimum mihi est. Nec profecto habebat poeta, cur dubitaret duobus versibus commemorare eximiam, quam Lacedaemonii ad Plataeas assecuti sunt, laudem, cum Musa eius

---

[143]) Her. VIII, 32 sq., 53; IX, 13; alibi. Diod. XI, 14 sq.; 28 extr. Plut. Them. 1, Arist. 10. Ex aliis scriptoribus locos aliquot collegit Stanleius.

[144]) Narrat hoc Plutarchus (Arist. 20). Cui fidem non habet Grotius (III, 147) ob Herodoti de ea re silentium. Sed confirmat Plutarchi narrationem locus Thucydideus (III, 56), qui fugit Grotium, a Dunckero (IV, 847 n. 2) affertur; ibi enim Plataeenses se profitentur τιμηθέντας ἐς τὰ πρῶτα. Diodori, qui narrat Lacedaemoniis palmam esse delatam (XI, 33), auctoritas nulla est.

reliqua fabula omni excellentem, quam Athenienses apud Salaminem sibi pepererunt, gloriam celebraret. Ceterum Doricam hastam commemorari ut minime vetabat ratio popularis, ita prope iubebat poetica. Namque ipsos Persas confecerunt maxime Lacedaemonii toto proelio iis oppositi; Athenienses plurimum temporis dimicarunt cum Boeotiis Persarum sociis. Atqui hoc Aeschyli loco Persa queritur de deletis Persis. Quid ergo? Nonne tantum non necesse est istum in gravem incurrere memoriam eorum, qui maxime Persas deleverint? [145]). — Hastae Doricae, postquam scuta barbara perfregerunt, primo parum profecerunt passim a barbaris arreptae fractaeque, ut narrat Herodotus (IX, 62) et Plutarchus (Arist. 18); maiorem tamen sine dubio caedem deinde fugientium, postremo in castris oppressorum fecerunt. — Ex ingenti caesorum barbarorum numero concludi potest tumulos (v. 820) fuisse ingentes. Herodotus quidem de trecentis milibus (loc. XIII n. 127) praeter quadraginta milia, quae cum Artabazo aufugerint, ne tria quidem superfuisse narrans (IX, 70) haud dubie calamitatem nimis auget. Quod tamen Diodorus refert (XI, 32 extr.), plus centum milia cecidisse, non nimis veritatem egredi videtur. — Mardonii tumulus etiam Pausaniae tempore sive sex seculis post exstabat (Paus. IX, 2, 2), unde videmus cumulate evenisse, quod per Darium poeta praedixit (v. 820—822).

Verba μέμνησθ' Ἀθηνῶν (v. 826), cum primum ea legi, memoriam mihi attulerunt vocis illius δέσποτα, μέμνεο τῶν Ἀθηναίων [146]). Deinde cum Herodoti caput, ubi vox ea reposita est, totum perlegissem, visus est mihi etiam antecedens versus τοιαῦθ' ὁρῶντες τῶνδε τἀπιτίμια haud sine tecta quadam vi a poeta esse editus atque spectare ad priorem Darii vocem ὦ Ζεῦ, ἐκγενέσθαι μοι Ἀθηναίους τίσασθαι: cum Darius optasset, ut

---

[145]) Praeterea quaedam Naekius contra Blomfieldii coniecturam protulit opusc. I, p. 197 sq.

[146]) Significationes in versibus 280 sqq. (loc. V) et 468 sqq. (loc. XI) latentes iterum mihi fabulam legenti atque ad tales res quam maxime attento occurrerunt. Aliquanto post cognitis Siebelisii et Volckmarii opusculis animadversionum mearum summas praeoccupatas repperi non sine stomacho quodam; quamquam ea, quae compluribus in mentem incidissent, eo magis probari praeclare sciebam.

contingeret sibi poenas sumere ab Atheniensibus, Xerxi accidit, ut ab ipso poenas sumerent Athenienses. Illud vero μέμνησθ' Ἀθηνῶν certe eam, quam indicavi, significationem continet atque admodum mirificam habet vim. Olim vivus dominus per servum voluit admoneri, ut reminisceretur Atheniensium; nunc per mortuum dominum servi admonentur, ut idem faciant. At vah, quam diversa est reminiscendi ratio! Darius ita meminerat Atheniensium, ut rem eorum vellet evertere; nunc chorum meminisse iubet ita, ut caveat idem velle:

μηδέ τις
ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαίμονα
ἄλλων ἐρασθεὶς ὄλβον ἐκχέῃ μέγαν (v. 826—828)[147]).

Illudit igitur tecte in se ipse Darius. Nihil autem spectatorum Atheniensium animos maiore potuit voluptate permulcere, quam superba illa ac minax vox ab ipso auctore versa in humilitatem ac timorem.

Darius Xerxem vestem discidisse e vaticinio sciens Atossae mandat, ut illi dignum ornatum ferens obviam eat (v. 834—838). Quod priusquam exsecuta est Atossa, Xerxes advenit[148]).

---

147) Cum his verbis cf. quod Artabanus Xerxi dicit apud Herodotum VII, 16: κακὸν διδάσκειν τὴν ψυχὴν πλέον τι δίζησθαι αἰεὶ ἔχειν τοῦ παρεόντος.

148) Solus, quod sciam, Hermannus (ad h. l.) in oppositam ivit sententiam. Sed non irridicule refutavit eum Volckmarius (p. 689 sq.). Quamquam is hoc quidem protulit inconsultius: „Während des Singens des 30versigen Chorliedes konnte Atossa unmöglich das von Dareios ihr Aufgetragene ausführen: der Empfang des vom Schicksal verfolgten Sohns und die von ihr geforderten Tröstungen konnten nicht so schnell abgemacht sein.“ Valde miror, qui virum doctum fugere potuerit concessa tum veteribus tum recentibus poetis scenicis in proponendis temporis rationibus a veritate recedendi licentia. Praeterea errat Volckmarius dicens Xerxem sine comitatu in scenam prodire. Comitum significationem, quam desiderat Volckmarius, continet v. 930 ποῦ δὲ φίλων ἄλλος ὄχλος;

XV. Tractantur ea, quae de superioribus Asiae dominis Darius profert (v. 760—787).

Aeschylea Asiae dominorum series inde a Cyro explicata est. De duobus vero Cyri decessoribus, Medi filio et Medo, diversa statuerunt viri docti. Apud Herodotum Cyrus succedit avo Astyagi, Astyages patri Cyaxari. Contra apud Xenophontem (Cyrop.) Cyrus succedit avunculo Cyaxari, Cyaxares patri Astyagi. — Postquam ex Cedreno Stanleius, ex Theodoreto Havercampus (ad Iosephi Ant. Iud. X, 11, 4) ostenderunt Astyagi nomen fuisse Dario Medo, omnes usque ad proximum tempus viri docti Aeschylum cum Xenophonte fecerunt consentientem: qui tamen non historiam scribens, sed fabulam, quam dicimus, Romanensem permulta ob sua consilia diffinxit atque hac ipsa in re a veritate recessit [149]). Hermannus quidem, ut cum Herodoto Aeschylum conspirantem faceret, suspicatus est, cum Cyaxarem, Astyagis filium, Darium Medum Iosephus diceret, illum potius Cyaxarem, qui pater fuit Astyagis, hoc nomen habuisse (ad v. 766); sed ne ipse quidem contortam hanc rationem sustinere ausus est (cf. ad v. 776). Verum enimvero Μῆδος nomen gentile est (cognovit hoc iam Blomfieldius, sed nescivit uti cognitione) nec profecto hic curandum, quid narrent Cedrenus, Theodoretus, Iosephus. Iam nihil obstat, quin ‚Medum‘ Cyaxarem, ‚alterum, illius filium‘ Astyagem esse censeamus itaque consentientem faciamus Aeschylum cum Herodoto. Quod primus nuper fecit Schoellius (l. l.), qui hoc quoque demonstravit, apte a Cyaxare Aeschylum ordiri; quod quomodo ab Astyage possit, exputari nequit. ‚Aeschylus‘, inquit Schoellius (p. 182), ‚non loquitur de serie regum Medorum, sed de totius Asiae dominis (v. 764 sq.). Medorum dominatum secundum Herodotum (I., 102 sqq.) duo deinceps reges condiderant, Phraortes et Cyaxares [150]); Phraortes tamen nondum supera-

---

[149]) Cf. Zeibichius in Misc. Lips. novis vol. VIII p. 58 sqq. et vol. IX p. 269 sqq.; Dunck. II, 478.

[150]) ‚Herodotum recta prodere, Ctesiam falsa, cuius tamen errores possint explicari, Dunckerus ostendit (I, 395; II, 421 n.)‘.

verat Assyrios, superiores Asiae dominos, sed ab iis erat superatus. Cyaxares demum eos subegit habuitque in amplo dominatu unum successorem Astyagem, quem Persa regno spoliavit. Rectissime igitur Aeschylus duos tantum inducit Cyri in Asiae dominatu decessores'. Asia dicuntur terrae inter Halyn et Indum sitae. At ne eas quidem omnes obtinebant Cyaxares et Astyages, quoniam liberum etiamtum erat regnum Babylonicum, quod a Cyro demum subactum est. Huius igitur rationem poeta praetermisit. At idem ipse admisit Herodotus, cum dixit de Cyaxare: οὗτός ἐστιν ὁ τὴν Ἅλυος ποταμοῦ ἄνω Ἀσίην πᾶσαν συστήσας ἑωυτῷ (I, 103)[151]). Ceterum facile ita parum accurate loquaris, quoniam Assyrii quidem, qui totius Asiae (terras dico inter Halyn et Indum sitas) dominatum tenuerant, Cyaxaris ditioni sunt subiecti. Quod dicit Darius Aeschyleus, Medi filium perfecisse rem a patre inchoatam, haud ita convenienter rerum memoriae dicit — constat enim Astyagem laxe regni gubernacula tractasse [152]) — at convenienter suo consilio. Etenim, cum id agat, ut Xerxem Asiae dominatum cunctis decessoribus deterius gerere comprobet (v. 760—765, v. 786 sq.), haud inepte horum res, quantum fieri potest, verbis ornat laudatque leviter Astyagem re vera non laudandum. Itaque poeta nequaquam reprehendendus est. Quod neque Cyaxarem neque Astyagem nominatim affert, non est vocandus in suspicionem inscientiae, ut recte dicit Schoellius; imo Persarum regi coram Persis loquenti non tanti sunt momenti haec, quam suae ipsius stirpis nomina. De versibus 768—771) [153]) idem audiendus est Schoellius: ,Cyrum Aeschylus, id quod idoneum rectumque est, in Asia minore fines imperii propagasse praedicat laudatque ingenium eius, ob quod a barbaris celebrabatur'. De regno Babylonico Cyri armis oppresso idcirco iam tacendum erat Aeschylo, quod supra ita erat locutus, quasi id Cyaxari iam et Astyagi paruisset. Lydicum

---

[151]) Cf. Diod. II, 32 (Ἡρόδοτός φησι Κυαξάρην) τοῖς Μήδοις ἀρχηγὸν γενέσθαι τῆς τῶν ὅλων ἡγεμονίας. (Cf. C. Müllerus in Ctesiae fragmentis p. 43 a.).

[152]) Cf. Dunck. II, 467.

[153]) Vide notam XXV.

autem regnum a Cyro subactum eo magis commemorandum erat, quo magis contrarii sunt acti a Cyro de Graecorum finitimis ipsisque Graecis triumphi Xerxis calamitati a Graecis acceptae. Aeschylus ordinem tenet chronologicum, cum profert Lydos, Phryges, Iones. Nam, si credi licet Xenophonti (Cyrop. VII, 4, 16)[154]), primos Cyrus Lydos domuit, secundos Sardibus Ecbatana revertens Phryges; tertios constat Iones per Mazarem et Harpagum ad imperium eius esse adiunctos. Cum v. 769 comparare iuvat, quod dicit Herodotus (III, 89), Cyrum a Persis patrem esse appellatum, ὅτι ἤπιός τε ἦν καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο. Ad v. 772 ex Herodoti sententia dici potest, postremo tamen Cyrum sensisse φθόνον θεοῦ, deposita εὐφροσύνῃ. Cyri successorem, ut egregie observavit Schoellius, perite apteque poeta uno versu (773) dicit Cyri filium et penes quem fuerit omnium summa rerum, non laudato eius nomine: ‚neque enim laudandus erat Cambyses, at erat filius magnificentissimi terrarum expugnatoris, et dominus appellabatur a barbaris‘ [155]). Deinde Schoellius de v. 774—778 maximam partem praeclara profert, quibus uti mihi (corrigenti, quae minus accurate dixit) liceat. Quintum regem aperte declaratur scelere regnum peperisse, maculasse splendorem stirpis — quippe qui se esse Cyri filium simulasset [156]) — et regni; sed tamen ponendus est inter reges, quoniam reapse regnavit aliquamdiu Cambyse vivo, septem per menses mortuo. Aeschylea nominis forma Μάρδος aperte (non aeque prope, ut dicit Schoellius, sed) multo propius abest a forma in inscriptionibus exstante Bardiya, quam Herodotea forma Σμέρδις. Nam, ut terminationem, quae levioris est momenti, omittamus, stirps Bard proxime transiit in Μαρδ [157]). Huic demum e Graecorum studio latius patenti obdita consonante σ (cf. σμικρός, σμῖλαξ, σμογερός, σμύρνα etc.) et vocali α in ε extenuata evasit Σμερδ [158]). Videmus, quam

[154]) Cf. Dunck. II, 542.

[155]) Her. III, 89.

[156]) Her. III, 61; inscriptio Behistana I, 11.

[157]) Cf. Bagabukhsa, Graece Μεγάβυζος (Spiegel. die altpersischen Keilinschriften Lips. 1862 p. 144).

[158]) Hoc ego observavi, ubi primum legi Schoellium. Postea e Spiegelio (l. l.) idem iam prolatum esse vidi ab Oppertio.

temere omnium codicum lectionem Μάρδος Brunckius, alii in Μέρδις, Blomfieldius in Σμέρδις mutaverint. Videmus maiorem in Aeschyleis nominibus inesse auctoritatem, quam adhuc putatum est. Quod Mardus dolo interfectus dicitur, congruit cum Herodoti narratione (III, 68—78) et cum rerum adumbratione, quam exhibet inscriptio Behistana (I, 13). Principem rei gestae Aeschylus perhibet Ἀρταφρένη. Apud Herodotum coniurationis auctor est Otanes. Sed tamen Herodotus socium coniurationis eumque ab ipso Otane ad societatem ascitum (III, 70) profert Ἰνταφέρνεα, qui manifesto idem est atque Ctesiae Ἀταφέρνης (Pers. 14) et inscriptionis Behistanae, quae uno nomine postremo cum Herodoto discrepat [159]), Vindafranâ (IV. 18). Itaque liquet id, quod Hermannus adnotat ad v. 776, posse, ut ea, quam reddidit Herodotus, narratione Otani, ita alia Artapherni primas partes assignatas esse idque eo facilius — addit hocce Schoellius — quo magis Darii frater Artaphernes eiusque filius cognominis inter proceres Persarum apud Graecos, praecipue Athenienses, notus celebratusque fuerit [160]). Versum φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν οἰακοστρόφουν, qui aperte contineat etymologiam nominis Ἀρταφρένης quemque ad hoc diserte referat scholiasta, non, ut in codicibus, post 767, sed 777 legendum censeo cum Siebelisio, Iacobsio, Hermanno, Meinekio, Schoellio. Ceterum adhuc falso putarunt viri docti, principalem apud Graecos formam fuisse Ἀρταφέρνης eamque a poeta mutatam esse in Ἀρταφρένης ad illigandum in narratione etymologicum acumen. Quoniam enim antiqua Persica forma est Art(a)fr(a)nâ (𐎠𐎼𐎫𐎳𐎼𐎴𐎠), non dubitandum est, quin Aeschylo praesto fuerit forma Ἀρταφρένης neque opus ei fuerit mutatione. Quod si ita est, dictum eius sine dubio magis placuit Atheniensibus. Nam cum omne acute dictum, tum vero etymologicum, quo minus coactum, eo melius est. — Ut pleraque, ita hoc Aeschylus recte dicit, nobilem illum Persam rem non solum perpetrasse, sed ξὺν ἀνδράσιν φίλοισιν (hadâ kamanaibis martiyaibis, Behist. I, 13). — V. 779 ἕκτος

---

[159]) Cf. Dunck. II, 609 n. 1.

[160]) Her. V. 25, 30, 73, 100, 123; VI, 1, 4, 94; VII, 74; cf. Aesch. Pers. 22.

δὲ Μάραφις, ἕβδομός τ' Ἀρταφρένης cum Schützio, Porsono, Bothio, Dindorfio, Hartungio, Schoellio eiicio [161]).

XVI. De Dario Aeschyleo.

Cum de Dario Aeschyleo exposituri simus, primum, quid ipse de se proferat, videamus.

Postquam igitur coniurationem septemvirorum absolvit, se dicit sortem esse nactum, quam optasset (v. 780). Sortitum Darium esse regnum inter rerum scriptores constat. Convenerat, ut narrant, inter septemviros, ut, cuius equus oriente sole primus hinnitum edidisset in suburbio, dum ipsi veherentur, is regnum obtineret. Quam avide Darius, ut sibi sors obtingeret, optaverit, quam callide ei Oebares, equorum custos, optatam sortem prospexerit, copiose descripsit Herodotus (III, 85—87). Darius multa illa, quae multis copiis gessit, bella (v. 781) non omnia gessit bene et feliciter. Nec sane dicit nullum se civitati malum attulisse, sed non tam magnum, quam Xerxem (v. 782). Omnino tantum abest, ut prae se ferat a peccatis vacuitatem, ut v. 825 sqq. in se ipse tecte illudat (cf. p. 56). — Praecepta a Dario Xerxi data (v. 784) poeta est commentus: in quibus erat, ne fretum Europae et Asiae interiectum transiret neve bellum Graeciae inferret; sed de his rebus supra iam exposuimus.

Jam considerandum est, quae ab Atossa et choro de Dario proferantur. Atossa v. 163 felicitatem laudat per Darium iuvante deo [162]) conditam. Ceterum v. 470 Marathoniam cladem commemorat. Eandem indicavit chorus v. 235 et apertius v. 243; idem oblique perstrinxit Darium v. 282 sqq. At postea uterque loquitur, quasi nullam rem Darius male gesserit, Atossa v. 710—713, chorus v. 549—552 et infra saepius. Qua in re

---

[161]) Vide notam XXVI.

[162]) Ad verba οὐκ ἄνευ θεῶν τινός conferre libet loquendi formulam „vasnâ Auramazdâha“ (gratia Auramazdis), qua Darius eiusque successores in inscriptionibus omnes res feliciter perfectas ad summum deum Auramazdem solent referre (Dunck. II, 360).

tantum abest, ut poetam cum Blomfieldio (praef. XI) vituperem, ut non satis eum laudare possim. Etenim non fere potest fieri, quin blandiatur Dario chorus, ubi ex inferis eum excitare studeat, Atossa, ubi eum affetur. Omnino vero secundum naturam est, quod chorus in maius extollit Darii gloriam, postquam summam Xerxis dedecus percepit: tum profecto acerrime sentiens, quanto deterior sit Xerxes Dario, dum eos inter se opponit, ad huius laudes nimium augendas ultro fertur. Oblitus est nimirum Blomfieldius poetam oportere personas non ad veritatem ἱστορικῶς, sed ad omnes semper conditiones atque affectus ψυχολογικῶς loquentes facere.

Singulos, ubi Darius laudatur, locos deinceps lustrare nolumus, praesertim cum nonnunquam eadem aliis verbis repetatur laus. Pertractabimus canticum chori v. 854—885, quippe quod laudes tum supra passim editas, tum novas proponat idque disposite.

De dispositione praeconii huius admodum artificiosa quoniam nemo adhuc, quod sciam, exposuit, pauca liceat praemittere. Primum igitur par stropharum generatim laudat Darii felicitatem, et quidem stropha universam, antistropha stropham explicans tum bellicam, tum civilem. Bellica felicitas praedicatur impensius; neque id mirum; opposita enim Xerxis calamitas, quae chori animo obversatur, bellica est. Unde etiam reliqua cantici pars omnis in bellicis Darii laudibus celebrandis versatur. Alterum et tertium stropharum par speciatim proponunt loca expugnata, alterum urbes in continente sitas, tertium insulas. Harum postrema commemoratur Cyprus eiusque ex urbibus tres nominantur et quidem postrema gravissime Salamis, memoriam afferens originis cognominis, quae Persis est luctus origo [163]). Epodus locorum expugnatorum seriem egregie concludit per Ioniam, extremam belli funestissimi causam. Denique iterum laudatis copiis Darii redit ad querendam calamitatem Xerxis, qui iamiam adventurus est.

Ad veritatem stropha α praedicat, universas res Dario rege floruisse [164]). Ex epithetis Darii ἀκάκας ad mores spectat (cf.

---

[163]) Vide notam XXVII.

[164]) Cf. Dunck. II, 640.

v. 665 et 672 πάτερ ἄκακε Δαρειάν, v. 650 sq. ἢ φίλος ἀνήρ, φίλος ὄχθος· φίλα γὰρ κέκευθεν ἤθη). Re vera Darius non est ab omni scelere vacuus. A crudelitate non abstinuit, cuius gravissimum exemplum edidit in tres Oeobazi filios [165]). Nonnunquam tamen humanissime se gessit, velut adversus Miltiadis filium [166]), atque omnino concedendum est clementem eum fuisse, ut regem barbarum. Epitheton ἄμαχος antistropha illustratur. Priusquam ad eam transeamus, pauca liceat notare ad duos proximi cantici locos, v. 657 et v. 648 sq. De cognomine θεομήστορος, quod chorus Dario fuisse dicit, alibi nihil audimus. At ex Herodoto (III, 89) de alio scimus Darii cognomine, καπήλου. Quod inter Persas honorificum fuisse equidem Grotio (II, 506) non concedam; inter Phoenices forsitan fuerit. Quod dicit chorus de Dario οἷον οὔπω Περσὶς αἶ' ἐκάλυψεν non est iudicium ratum, sed laus praesenti tempore genita. Dubito, num alias Persae Darium anteposuerint Cyro. Antistropha α non est nimia in laudanda domestica, qua Persae Dario regnante fructi sint, felicitate. Darius enim regnum in viginti praefecturas descriptum ordinatis tributis optime administrandum curavit [167]). Longum est enumerare omnia eius merita civilia; quae profecto maiora erant bellicis; quamquam hic bellica in maius aucta gravius premuntur. Quod gloriosos exercitus chorus dicit semper e bellis incolumes domum revertisse (cf. v. 549—552, v. 655—658), veritati valde adversari declarant infausta incursio ab ipso Dario in Scythas, calamitosae expeditiones a Mardonio et Datide adversus Graecos factae, quarum postremam ipse chorus indicavit v. 243. Ceterum, ut supra vidimus, vana chori verba ius habent poeticum. — Reliqua cantici parte e locis, quae ad Darii imperium sunt adiuncta, commemorantur Graeca Graecisque finitima, quae Darius non ipse, sed per legatos subegit (v. 862 sq.). Quod qua de causa fiat, apertum est. Quid enim magis contrarium esse potest Xerxis calamitati a Graecis acceptae, quam acti a Dario de Graecis triumphi? Oppida Strymonium sinum adiacentia (v. 864 sq.), interiora Thraciae

165) Her. IV, 84.
166) Her. VI, 41.
167) Her. III, 89, sqq.

(v. 866 sq.) Megabazus a Dario in Europa relictus in ditionem redegit [168]). Oppida ad Hellespontum et Propontidem sita (v. 868) idem, ad Bosporum sita (v. 869), qui in locum eius successit, Otanes, Sisamnis filius, armis subegit [169]): quae quidem omnia simul cum Ionia a Persis desciverunt; sed Ionia domita et ipsa iterum sub potestatem sunt subiuncta [170]). Ionia (v. 880), Lesbus et Chius (v. 872), Cnidus (v. 877) Cyro, Cyprus (v. 877 sq.) Cambyse regnante iam erant subactae. Samum (v. 872) paullo post, quam regnare coepit Darius, Otanes, Pharnaspis filius, subegit. Postea omnes desciverunt, sed denuo armis oppressae sunt per Artaphernem, alios [171]). Animadvertenda est poetae negligentia, qua inter insulas profert paeninsulam Cnidiam; sane Cnidii eam urgente Harpago, Cyri legato, in insulam transformare cupiverant, sed impediti erant a Pythia [172]). Lemnum (v. 876) Otanes, Sisamnis filius, Darii imperio subiecerat; sed paullo post Miltiadis et Atheniensium est facta [173]). Naxum et ceteras, quas Aeschylus commemorat, Cyclades (v. 873 sq.) Datis cepit, cum in Graeciam proficiscebatur [174]). De Icaro (v. 876) deque Rhodo (v. 877) narrationes singulares desiderantur. — Eo tempore, quo Persae fabula docta est, e plerisque illorum locorum Persae iam erant expulsi. Insulae maris Aegaei et Ionia Persis ad Mycalen a Leotychide et Xanthippo profligatis in libertatem erant vindicatae (a. 479) [175]). Xanthippus Sestum ceperat (a. 478) [176]). Pausanias, Aristides, Cimon Cypri maximam partem et Bospori claustra, Byzantium, e Persarum manibus eripuerant (a. 477) [177]). In Thracia Eionem Cimon

---

168) Her. V, 2.

169) Her. IV, 144, V, 1 sq.; V, 26.

170) Her. VI, 33.

171) De Ionia, Lesbo, Chio cf. Her. I, 169; V, 37; VI, 31. De Cnido Carica I, 174; V, 103; VI, 25. De Cypro III, 19; V, 104; V, 115. De Samo III, 139; V, 37; VI, 25.

172) Her. I, 174.

173) Her. V, 26; VI, 140.

174) Her. VI, 96.

175) Her. IX, 106.

176) Her. IX, 118.

177) Thuc. I, 94.

ceperat (a. 476)[178]. Sed Doriscus[179] et nonnulla Chersonesi oppida[180] etiamtum in Persarum erant ditione; praeterea autem Cnidus[181] et pars Cypri[177] barbaris parebant. Quorum locorum cum in memoriam poeta chorum faceret incurrentem, simul sine dubio id spectabat, ut Atheniensibus, qui postquam principatum sunt adepti (a. 476), nihil antiquius habebant, quam ut omnes barbarorum reliquias expellerent, novos stimulos admoveret. Posteri temporis memoria vere Athenienses loca illa aut liberasse aut liberare studuisse declarat.

In fine commentationis referentes animi oculos cum ad universam rerum descriptionem Aeschyleam, tum praecipue ad id, quod postremum illustravimus, perspicimus, quam vere quamque graviter Aristophanes in ranis v. 1026 sq. Aeschylum de Persis suis (postquam Septem adversus Thebas commemoravit) dicentem faciat:

εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ᾽ ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα
νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμήσας ἔργον ἄριστον.

---

178) Her. VII, 107; Thuc. I, 98.
179) Her. VII, 106.
180) Plut. Cim. 14.
181) Diod. XI, 60; Plut. Cim. 12.

Notae criticae et hermeneuticae.

I. (V. 16 sq.) Hermannus formas in codicibus exstantes Ἐκβάτανα et Κίσσινος retinet. Sed equidem cum Carolo Prienio (Ueber die Perser des Aeschylos, Rhein. Mus. VII, n. F., 1850; p. 217 extr., sq.) restituendas esse censeo formas Ἀγβάτανα et Κίσσιος [182]), quarum illam Mediceus v. 935 itemque Prienio teste v. 530 praebet, haec v. 119 et Choeph. v. 418 constat.

II. Dunckerus (IV, 737 extr.) Aeschylum inter Lydos et Mysos proferentem facit Chalybes hastarum fabros et Mardos. Mutavit Μάρδων, Θάρυβις (v. 52) in Μάρδοι, Χάλυβες neque id professus est. Uterque vero populus ab hoc loco est alienus. Insuper absurdissimum est λόγχης ἄκμονα accipere hastae fabrum. Quis enim unquam fabrum serio dicat incudem? Multo melius iam scholiasta: ἀκίνητοι ὑπὸ λόγχης, ὡς ἀκμὼν ὑπὸ σφυρῶν. Sed ἄκμων hic omnino non est substantivum (incus), verum adiectivum (indefatigabilis).

III. (V. 22.) Medic., al. Ἀμίστρης, Robort. Ἀμήστρης. v. 315 Medic., al. Ἄμιστρις, Brunck. Ἄμηστρις. Sequantur alii illic codices, hic Brunckium: mihi illic Robortellus, hic codices probantur. Cogitent alii de duabus eiusdem nominis formis: ego duo esse nomina duasque personas puto.

IV. (V. 944.) Edd. recent. e Mediceo, aliis Μασίστρας. Equidem Μασίστρης probaverim, quod exhibent Parisini quidam, ed. princ., Robort., Turn.; neque enim video, cur poeta nominis formam mutaverit; et facile poterat in exitu versus 944 terminatio ας e vicini versus exitu (Ὑσταίχμας) oriri.

V. (V. 36.) Langius et Pintzgerus ΠΗΓΑΣΤΑΓΩΝ nomen

---

[182]) Hanc iam restituerunt Meinekius et Hartungius.

appellativum esse rati significans fontium praesidem, coniunxerunt Σουσισκάνης πηγασταγὼν Αἰγυπτογένης. Prienius (p. 245) illorum rationem elegantiorem reddens proposuit ταγὸς πηγῶν vel πηγᾶς (πηγαῖς) [183]). Sed Σουσισκάνης aperte non Aegyptium, sed Persicum est nomen. Ac Prienius quidem dicens poetam a Nili fontibus deinceps ad ostia pergere graviter peccavit in re geographica: nempe Memphis infra Thebas sita est.

VI. (V. 316 sq.) Legitur: ὅ τ' ἐσθλὸς Ἀριόμαρδος Σάρδεσιν (Herm. et Meinek. e Mediceo et Lipsiensi; vulgo Σάρδεσι; Guelferbytanus praebet σαρδεσι) πένθος παρασχών. Sed quid Persa Thebis Aegyptiis praefectus ad Sardes Lydias? Alias graves dubitationes invenire licet apud Prienium (p. 244, sq.), quocum ego Schneideri coniecturam probo: ὅ τ' ἐσθλὸς Ἀριόμαρδος ἄρδεσιν πένθος παρασχών.

VII. (V. 45.) Herm., alii secundum Mediceum, alios Ἀρκτεύς. Certe nomen non pertinet ad eundem atque id, quod v. 307 profertur; nam v. 45 de ‚Lydo', v. 307 de Aegyptio sermo est. Equidem cum recentiorum editorum compluribus, quod praebent codex Vitebergensis, editio princeps, Turnebus, Ἀρκεύς praetulerim.

VIII. (V. 301.) Infra (v. 933) invenitur Πελάγων. Videtur utrobique aut ΤΕΝΑΓΩΝ aut ΠΕΛΑΓΩΝ scriptum fuisse. Certe haec facillime inter se mutari poterant, una scilicet lineola traiecta.

IX. (V. 307 sq.) Herm., al. Ἀρκτεὺς, Ἀδεύης καὶ Φερεσσεύης (cod. Cantabrig. 1, al.) τρίτος, Φαρνοῦχος. At vero tres, non quattuor dignoscendi sunt: permira videlicet apud paenultimum esset copula et numerus ordinalis. Equidem cum Hartungio Medicei (et Moscoviensis) Φρεσεύης recipio et Veneti A, aliorum τρίτος καὶ Φαρνοῦχος inverto scriboque Ἀρκτεὺς Ἀδεύης καὶ Φρεσεύης καὶ τρίτος Φαρνοῦχος. Ἀρκτεὺς Ἀδεύης una est persona. Nomen proprium est Ἀδεύης, Ἀρκτεύς gentile, derivatum ab oppido quodam, cui vel Ἄρκτη vel Ἀρκταί vel Ἀρκτίς nomen erat (cf. v. 309 Χρυσεὺς Μάταλλος et Matth. Gr. 103, III, p.

---

[183]) Dativus non fertur. Ego proposuissem πηγὰς ταγῶν ad analogiam Euripidei Λύκος τὴν ἑπτάπυργον τήνδε δεσπόζων πόλιν (Herc. fur. v. 28).

277). (Quod si cui non probetur, scribendum proponam Ἀρκτεὺς ἀδειής: epica forma ab hoc caesorum catalogo non abhorreat.)

X. (V. 313.) Optimi codices exhibent Μάγος Ἄραβος. Editores recentiores omnes receperunt Turnebi Μᾶγος. Sed quid opus est tam violenter tractare prosodiam? Legendum est καὶ Μάγος Ἀρᾶβος.

XI. (V. 318 et 944.) Edd. e codd. Θάρυβις. Haud dubie is, quem v. 52 invenimus, alius est, quippe qui sit Lydus, non Troicus. Equidem v. 318 et 944 restituerim nomen, quod illic scholiasta, hic complures codices et Robortellus habent, Θάμυρις. Blomfieldius iam dubitavit, an hoc verum esset; item nuper Hartungius, qui hisce quidem aliquid attulit: „Θάμυρις ist ein wohlbekannter thrakischer Name, und in der Landschaft Troas wohnten auch thrakische Stämme“.

XII. Prienius (p. 231): „932—935 (=943—946) ist durch die Herausgeber gewaltig entstellt, indem sie lieber in der Strophe Worte umstellen und ausstoßen, als in der Antistrophe den Ausfall eines Wortes annehmen wollten“. Prienium in ordine verborum sequor, in singulis verbis aliquoties ab eo recedo:

(932—935)

οἷος ἦν Φαρανδάκης
Σούσας, Πελάγων (?) καὶ Δωτάμας
ἠδ᾽ Ἀγδαβάτας
Σουσισκάνης τ᾽ ἠδὲ Ψάμμις
Ἀγβάτανα προλιπών. (dochmius.)

(943—946)

ἢ Αἴλαιος εὐπάτωρ
Μέμφις, Θάμυρις καὶ Μασίστρης
. ! . . .
Ἀρτεμβάρης τ᾽ ἠδ᾽ Ὑσταίχμας;
τάδε σ᾽ ἐπανερόμαν.

XIII. (v. 69—74.) Comma post ὅδισμα delendum et totus locus sic explicandus est: ‚postquam ratibus, quas lineis funibus iunxit, fretum mutavit [184]) (μετεῤῥύθμιζε v. 748) multisque clavis compactam viam tamquam iugum imposuit cervicibus maris‘. ἀμείβειν, quamquam, ubi de locis sermo est, plerumque vim

---

[184]) Cf. v. 312 ἀμείβων χρῶτα πορφυρέᾳ βαφῇ.

habet superandi; tamen hic non de transitu, sed, ut sequens ἀμφιβάλλειν, de opere intelligendum est.

XIV. (V. 280.) Hermanno inficetus visus est hic versus, nisi post Ἀθηνῶν gravius interpungeretur. Quod non probavit neque Meinekio neque Hartungio neque mihi. (Germanice verto: ‚Weh', wie ich jammern muß, wenn ich Athens gedenke!') Suam rationem sic probare studet Hermannus: „Gravis est sententia, si dicit nuntius ‚nam ingemisco, cum recordor', quo indicat vel recordationem mali tantam vim habere, ut a gemitibus temperare sibi nequeat, ex quo colligi posse, quantum praesentibus videri istud malum debuerit." At profecto ista sententia magis, quam pro commotione nuntii, meditata est.

XV. (V. 333—338.) De numeris, quos Aeschylus profert, diversae exstant sententiae. Ut primum de Persicarum navium numero (v. 336 sqq.) dicam, alii mille ducentas septem, alii mille computant. Apparet quaeri, utrum celeres illae ducentae et septem τὴν χιλιάδα compleant, an ad eam accedant. Equidem cum iis facio, qui hoc statuunt, quia Herodotus aperte dicit fuisse Persis naves mille et ducentas septem: non quo putem non potuisse Aeschylum cum Herodoto de hac re dissentire (de Graecarum navium numero manifesto inter se dissentiunt): sed permirum esset, si, quem numerum alter τὴν χιλιάδα complevisse diceret, plane eundem alter ad eam faceret accedentem. Aeschyli locum sic explico: Xerxi mille erat navium, quas ducebat, quod attinet ad multitudinem (die Masse, le gros — non quod attinet ad classis summam); naves autem celeritate praestantes (ut ita dicam, classis cornicula, die Fühlhörner) ducentae erant et septem. — Quod ad Graecarum navium numerum attinet (v. 332 sqq.), eodem modo decem illas delectas ad rotundatum trecentarum numerum accedere, non eum complere statuendum est atque id quidem plerique statuerunt interpretes copulantes τῶνδε χωρίς. Scholiasta contra statuit coniungens χωρὶς ἔκκριτος eumque secuti sunt Blomfieldius et cum Pintzgero Langius, qui in altera interpretatione offendi sese profitentur epitheto ἔκκριτος. Imo prorsus in ipsorum χωρὶς ἔκκριτος molesta inest abundantia. In nostra vero explicatione tantum abest, ut ἔκκριτος „minus conveniat" (Blomf.) vel „non bene in sensum quadret" (L. et P.), ut elegantem praebeat sensum: decem vero erant praeter

hasce „bonitate (magnitudine, celeritate) praestantes"; sic enim recte Schützius explicat ἔκκριτος (cf. Soph. Ai. 1302 sq. ἔκκριτον δώρημα.

XVI. (V. 408—411.) (τὰ πρῶτα μέν νυν ῥεῦμα Περσικοῦ στρατοῦ ἀντεῖχεν·) ὡς δὲ πλῆθος ἐν στενῷ νεῶν ἤθροιστ', ἀρωγὴ δ' οὔτις ἀλλήλοις παρῆν· αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἐμβολαῖς χαλκοστόμοις παίοντ', ἔθραυον πάντα κωπήρη στόλον· (Ἑλληνικαί τε νῆες κ. τ. λ.): (primum quidem vis Persici exercitus resistebat;) cum vero (omnis) navium multitudo in angustiis esset congregata, auxilium aliae aliis ferre non poterant, sed inter se ipsae ferreorum rostrorum ictibus feriebant, omne remigium detergebant; (et Graecae naves etc.). Temporis descriptio ὡς δὲ πλῆθος ἐν στενῷ νεῶν ἤθροιστο gravissime opponitur antecedenti τὰ πρῶτα μέν. Iam inde sequitur, apodosin cum Droysenio interprete et Meinekio ducendam esse ab ἀρωγὴ δέ [185]) non cum Schützio, qui post παρῆν comma ponit, ab ἔθραυον. Schützius ex alacri oratione lentam facit ac suspensam. Hermannus παίοντ' interpretatur praesentis participium παίοντα (intransit.). Sed sine ulla dubitatione praeferenda est nostra interpretatio (παίοντ' = ἐπαίοντο). Quae si probatur, copiosior est narratio, quippe utrumque continens icendi modum, tum perforantem, tum stringentem, cum Hermanniana interpretatio unum exhibeat posteriorem.

XVII. (V. 422.) Codd. κωκύμασιν. Sed neque ferri potest οἰμωγὴ ὁμοῦ κωκύμασιν, siquidem ὁμοῦ fortius est, quam quo copulari possint duo synonyma (idem sensisse vidi Prienium p. 245); neque mihi quidem placet scholiastae ὁμοῦ τῷ συντετρῖφθαι, quod expressit Blomfieldius hac versione: „simul autem lamentatio mare eiulatibus complevit"; languet enim sic κωκύμασιν. Amplector equidem καυχήμασιν, coniecturam Hermanni, quocum „hic laetum clamorem Graecorum commemorari exspecto, ut in Homerico illo: ἔνθα δ' ἅμ' οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων" (Il. VIII, 65 sq.); cf. tragoediae huius v. 1003 λυπρά, χάρματα δ' ἐχθροῖς et Agam. v. 309 sq. καὶ τῶν ἁλόντων καὶ κρατησάντων δίχα φθογγὰς ἀκούειν

[185]) Cf. Matth. gr. §. 616, 3 p. 1470: δέ steht sowohl bei den Epikern, als bei den Attikern in Nachsätzen aller Art, besonders, wenn der Vordersatz eine Zeitbestimmung enthält.

ἔστι συμφορᾶς διπλῆς (et Q. Curtius Rufus III, 28: „omnia planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, repleverant"). Hermanni emendatio eo magis commendatur, quo facilius καυχήμασιν abire poterat in usitatius ac fortasse ex versu 327 memoriae inhaerens κωκύμασιν. (Blomfieldium, qui putavit ὁμοῦ apud poetas scenicos nusquam valere „una cum", fugit locus Sophoclis Oed. Col. v. 949 τῇδ' ὁμοῦ ναίειν πόλει.)

XVIII. (V. 452 sqq.) In hoc loco explicando multis modis peccatum est ab interpretibus. Droysenius vertit: „(Die Griechen) umzogen dann die Insel rings; nicht fanden sie den Ort zum Angriff, da die hinabgeschleuderten Felsstücke niederrissen u. s. w." Quod rectum esset, si legeretur ἀμφὶ δὲ κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον [186]· ὡς ἠμηχάνουν κ. τ. λ. At quoniam legitur ὥστ' ἀμηχανεῖν, prorsus perversa est versio. Recte iam glossator codicis Medicei ad ἀμηχανεῖν intellexit τοὺς Πέρσας (cf. v. 726 φεῦ, μέγας τις ἦλθε δαίμων, ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς scil. τὸν Ξέρξην). Sequentia turbarunt Schützius, alii, verbi ἠράσσοντο subiectum et verbi ὤλλυσαν obiectum Persas esse rati. Nam quis credat Graecos lapidibus usos esse adversus Persas altiore loco stantes? Arcus autem sagittasque Graeci in insulam traiecti omnino non gerebant, siquidem erant ὁπλῖται (v. 451 sq.; Her. VIII, 95; Plut. Arist. 9). Hoc quidem vidit Siebelisius (p. 116); quod tamen ὤλλυσαν intransitive accepit ac vertit „peribant" (p. sq.), temere fecit. Totum locum cum Prienio (p. 211) et Dunckero (IV, 800) sic explico: „(Graeci) cinxerunt totam insulam, ut non haberent (Persae), quo se verterent. Namque initio quidem multum lapidibus manu missis percutiebantur (Graeci) ab arcuumque nervis sagittae iis inflictae perdebant eos: postremo vero etc." Sic omnia recta ac sana sunt. Nemo, opinor, mirabitur Persas lapidibus sagittisque ascendentes Graecos excepisse: necesse fuisse eos in insula interclusos ac saluti suae desperantes quam fortissime resistere in commentatione exposui. Praeterea, cum in Schütziana interpretatione vix liceat videri, quid sibi velit fortis illa oppositio per μέν et τέλος δέ facta,

---

[186]) Potest id sane eam, quam Droysenius vult, habere significationem, scilicet: circumibant totam insulam, sie zogen um die ganze Insel herum; cf. Callim. Dian. 267 περὶ βωμὸν κυκλώσασθαι.

in nostra explicatione gravissime profecto inter se opponuntur non solum verba, sed etiam res ac τέλος δέ significat καταστροφήν. Particulam autem γάρ notum est saepius ita poni, ut non ilico eorum, quae antecedunt, causam afferat, sed longiorem inducat explicationem, cui causa aliqua involvatur. Subiectorum denique mutationes non indicatae nihil habent insolentiae in narratione maxime alacri.

XIX. (V. 457.) ῥόθος est impetus strepens (ὁρμὴ μετὰ ψόφου Hesych.); cf. v. 401. Nolim cum Droysenio et Dunckero (IV, 800) Boeotiam eius vocabuli significationem (Procl. ad Hesiod. O. et D. v. 220) sumens ἐξ ἑνὸς ῥόθου interpretari ‚per callem‘.

XX. (V. 489 sq.) Ἠδωνίδ᾽ αἶαν (quod copula τε carere animadvertendum est) quasi appositio est ad Παγγαῖον ὄρος valetque fere ἐν Ἠδωνίδι αἴᾳ κείμενον. Non multis, opinor, Grotius (III, 113 n. 82) persuadebit, Aeschylum nescivisse, Edonos et Pangaeum montem ‚in Edonis situm‘ e Graecia proficiscentibus esse trans Strymonem. Nec profecto illos ponit cis Strymonem, modo locus explicetur ea ratione, quam in commentatione proposuimus. Quam rectam esse probat sequens νυκτὶ δ᾽ ἐν ταύτῃ κ. τ. λ. ‚hac nocte, scilicet postquam ad Edonorum fines advenimus, interpositus inter nos et Edonos Strymon gelu constrictus est‘.

XXI. Contra id, quod dixi, Darium iam v. 717 vaticinii eventum praesagire coepisse, non repugnat v. 736, modo recte explicetur, quod adhuc factum esse nego. Avet Darius audire cecidisse Xerxem: qui si cecidit, praesens calamitas non pertinet ad vaticinium, non est fatalis ille ‚fons malorum‘ (v. 744): nam e calamitate vaticinio praedicta rex ipse salvus evadit. ἔστι τις σωτηρία; hoc valet: ‚Estne salus aliqua rei Persicae? Licetne sperare malum istud non esse capitale a Phineo praedictum?‘

XXII. (V. 737.) Sine dubio quivis audiens vel legens hoc loco γέφυραν γαῖν δυοῖν ζευκτηρίαν de ponte in Hellesponto effecto cogitat. Langium vero et Pintzgerum ad perversam interpretationem adduxit doctrina. Didicerunt scilicet (quod ceteros editores non didicisse parum modeste dicunt) pontem in Hellesponto factum ante Xerxis reditum tempestate esse deletum. Id recte negant ignotum fuisse Aeschylo. Deinde vero: „Quodsi,“ inquiunt, „bene scivit poeta, Atossa filium ad pontem pervenisse

dicere non potuit." Quasi vero omnes res, quas scivit Aeschylus, Atossa quoque sciat Aeschylea! Si sciret eas, non quaereret profecto, ubi sitae essent Athenae (v. 230). Langius et Pintzgerus γέφυραν dicunt Homericam notionem habere et significare Hellespontum (quod iam commentus est scholiasta. Significat autem γέφυρα apud Homerum aggerem (Il. V, 88), deinde per translationem intervallum, quod tamquam agger acies usque ad initium proelii disiungit (Il. IV, 371, saepius). Aeschylus, si simili translatione utens γέφυραν intellexisset Hellespontum, potius addidisset γαῖν δυοῖν λυτηρίαν, quam γαῖν δυοῖν ζευκτηρίαν.

XXIII. (V. 746 sq.) δεσμώματα sunt vincula in Hellespontum demissa et iungendum est σχήσειν ῥέοντα. — Schützius assentiente Blomfieldio δεσμώματα significare putat pontis retinacula: nam de vinculis Hellesponto iniectis nihil Darium audivisse. At ne haec quidem audivit, Xerxem Graeca sacra evertisse et vestem suam discidisse. Et tamen scit. Scit autem omnia haec, ut in commentatione explicavimus, e vaticinio. — Langius et Pintzgerus vetant coniungi σχήσειν ῥέοντα, quod Hellespontum impedire, quominus flueret, neque Xerxes tentaverit, neque tentasse eum Aeschylus potuerit dicere. Ne ipse quidem puto Xerxem vere id esse molitum; sed tamen moliri visus est ideoque facile aliquis dicat, praesertim vituperans, vere eum spem illam insanam habuisse.

XXIV. (V. 806.) Scholiasta A λείπει neutraliter intelligit et πεπεισμένος ad στρατός refert, pro quo πλῆθος στρατοῦ poeta dixerit (v. 804). Sed assentiendum est glossatoribus codicis Medicei et Vitebergensis, qui λείπει active intellexerunt et ascripserunt explicationem ὁ Ξέρξης. Quod subiectum non expressum esse mirans Hermannus pro sua consuetudine excidisse statuit versum Xerxis nomen continentem. Sed minime mirandum est subiectum Ξέρξης non esse expressum. Darius enim verba refert vaticinii, in quo non erat nomen τοῦ λείποντος. Hunc autem Xerxem esse iam promptum atque propositum est. Atque is eo facilius intelligitur, quod tota hac scena de eo potissimum cogitatur; cf. v. 831, ubi dicitur ἐκεῖνος. (Praeterea cf. v. 445).

XXV. (V. 768.) τριτὸς ἀπ' αὐτοῦ de sola regni successione intelligendum est. Errat Dunckerus (II, 474 n. 1) dicens:

„Bei Aeschylos in den Persern ist Kyros der Enkel des Medus." Imo dicendum est „der dritte König von dem Meder an gerechnet." Cyrus nepos est filii Medi (Astyagis), Medi (Cyaxaris) pronepos.

XXVI. (V. 779.) In codicibus inter Mardum et Darium sextus Maraphis [187]), septimus Artaphrenes ponuntur. Ut Stanleii tulit sententia, Aeschylus post necatum a septem coniuratis Magum non statim Darium regnum excipientem, sed e ceteris coniuratis duos illos ante eum regnantes et hunc illis e medio sublatis demum imperio potientem fecit. At quae est reliquae narrationis Aeschyleae cum rerum memoria conspiratio, non potuit hoc uno loco poeta tantopere a veritate recedere. Primus Schützius (excurs. II. p. 130) cognovit sextum Maraphin et septimum Artaphrenem e glossa in textum irrepsisse. „Cum nimirum", inquit, „septem principes Persarum ad Smerdin tollendum coniurasse notum esset, scholiastes forte quidam ad explicanda Aeschyli verba οἷς τόδ' ἦν χρέος (v. 778) adiecerat septem coniuratorum nomina tribus senariis inclusa, e quibus tertius eo facilius in textum irrepere potuit, quod numerus ἕκτος ordini regum responderet." Schoellius ne οἷς τόδ' ἦν χρέος quidem Aeschyleum duxit scribendumque proposuit αὐτὸς ἕβδομος. Qua in re me quidem summopere habet assentientem. Primum enim αὐτὸς ἕβδομος per se multo magis mihi probatur, quam languidum οἷς τόδ' ἦν χρέος. Deinde ex illo, quî orta sit scholiastae glossa, multo facilius intelligo. Hermannum, qui suspicatus est Aeschylum hic septem coniuratorum nomina enumerasse atque omnino pleniorem de coniuratione descriptionem proposuisse, e qua postremorum duorum coniuratorum nomina et epitheton Mardi ὑπόξυλος servata essent, prorsus refutavit Schoellius. — Quod ad ὑπόξυλος attinet, quod vocabulum secundum scholiastam Hermogenis apud Bastium ad Gregorium Cor. p. 241 adhibuit Αἰσχύλος ἐν Πέρσαις, Blom-

---

187) Recte C. Müllerus (Ctes. frgm. 64 a) hunc et Ctesiae Βαρίσσην respondentem facit Herodoti Γωβρύῃ, qui est in inscriptione Behistana Gaubaruva. Μ ά ρ α φ ι ς et Β α ρ ί σ σ η ς nomina, ut mea fert sententia, eadem mutilatione orta sunt e Gau b a r u v a, qua Δ α φ έ ρ ν η ς (Hellan. frgm. 167) e Vin d a f r a n â.

fieldius (praef. XXIV) scholiastae Πέρσαις mutari voluit in Περῥαιβοῖς (dicendum est Περῥαιβίσιν) atque inani coniectura vocabulum illud fragmento alicui Perrhaebidum obdidit. Sed ne id quidem sumamus necesse est, errasse scholiastam. Putemus licet Persas hic pro antiquorum trilogias e fabula gravissima, plerumque media, nominandi consuetudine universam dici trilogiam atque in deperditarum fabularum alterutra exstitisse vocabulum ὑπόξυλος, aut in Phineo, aut in Glauco Marino [188]).

XVII. (V. 878 sq.) Salaminem dici posse τῶνδ᾽ αἰτίαν στεναγμῶν, quis est, qui neget? Nihil igitur est, quod cum scholiasta B et Schützio ματρόπολιν non proprie de matre Salamine, sed improprie de avia Athenis interpretemur.

---

[188]) Cf. Vater. p. 230 sqq. — Ab Athenaeo (III, p. 86 B) ex Aeschyli Persis afferuntur νῆσοι νηριτοτρόφοι. Hermannus eas post v. 892 intrudit, Blomfieldius (ad v. 897) apud Athenaeum pro Aeschylo alium poetam, fortasse Epicharmum, ponendum esse putat. At sine dubio aut in Phineo illae exstabant, aut, quod maiore cum veritatis specie suspicatur Droysenius in Aeschyli versione (p. 273 ed. 2), in Glauco Marino.



MONITUM.

Typographus offensis sub finem libelli mei, dum typis eum exscribit, nonnullis signis, quorum formas nec sibi esse nec parari posse urgente tempore asseveravit, coegit me non solum, ut eraderem varias notulas in Latina Persicarum vocum descriptione, verum etiam, ut descenderem ad immania signa prosodiaca et metrica (p. 60 v. 27, p. 68 v. 7 et 30), quae tamen lector benevolus facili negotio intelliget, veniam dans audaciae meae necessariae.